FACETIARVM HEINRICI BEBELII, POETAE A. D. MAXIMIliano laureati, libri tres, à mendis repurgati, & in lucem rursus æddit[i].

HIS ACCESSERVNT SElectæ quædam Poggij facetiæ.

HIS ADDITAE SVNT ET Alphonsi regis Arragonum, & Adelphi facetiæ.

ITEM PROGNOSTICON IN OMNE *æuum durans, Iacobi Henrichmanni, facetijs Bebelianis non illepedè additum.*

TVBINGAE APVD HAEredes Vlrici Morhardi, Anno M. D. LV.

LIBER AD LE-
ctorem.

Pone supercilium lector nasute, dicaces
  Affero ego risus atq; sales lepidos.
Curia me spernat, fora me clamosa refutent,
  Solus ego mensis leticiaéq; cano.
Atq; etiam sapiens nos inter pocula tractet,
  Et tetricas curas mitiget ipse iocis.
Nemo etiam carpet, tristem qui fronte Catonem
  Nouerit in libris composuisse sales.

VIRO DISERTISSIMO, IVRISCONSVLTISSIMO, ATQVE integerrimo, Petro Iacobo Arelunẽsi, Præposito Backnaugensi, canonico Stutgardiano, &c. Ducaliq; senatori, Henricus Bebelius, S.D.

PEtre uirorum optime, aduersa ualetudo tua tam uehemens tamq́; diuturna, quanto mihi dolori fuerit & mœrori, potest animaduertere, quicunq; ex tua salute meam salutem, & magnam felicitatis partem pendêre nouerit. Econtrà, cum iam paulum reualueris, febrilisq́; ille impetus & feruor resederit, gratulor profectò tibi plus quàm dici potest: optoq́; & Optimũ Maximumq́; Deum precor, ut indies uegetior saniorq́; reddaris, Thermæq́; illæ uel ferinæ, siue Hercinianæ, naturali suo calore efficaces te integris uiribus restitutaq́; penitus sanitate domum remittant. Sed cum bóni amici (ut moris est Sueuis) in thermis agentes aliqua gratificatione & munusculo honorare consueuerint. meq́; iniquitas fortunæ in illam angustiam collocauerit, ut nulla sint mihi nisi chartacea munera, ne omnino amici officium negligere uidear, aggressus sum ea commentari & fingere, atq; ad te mittere, quæ maximè in thermis agentibus idonea & grata esse existimo. Accipe igitur, uir optime atq; patrone charißime, has nostras facetias, quas summa

cum difficultate ad Latinum eloquium commutaui. Ea enim quæ in uernacula lingua iocose atq; facete dicuntur: uix eadem quadrabunt in latino, & econtra: sum tamen nonnihil consecutus, ut uideantur etiam non inepte narrari, ubi locus & tempus & personæ admittunt. Quod si hæc tibi placitura sensero, multoplura scribam in posterum: puto enim hoc esse studium uel etiam honestißimum, ut homo poßit dispensare tempus, & ad ocium & negocium, ad seria & iocos item. Vale, & me commendatum habe. Tubingæ sexto Idus Maias, Anno M. D. VI.

FACE-

FACETIARUM BEBELIANARUM,

quas lusit in adolescētia sua, liber primus.

Sacerdotis cuiusdam facetum dictum.

QVVM Princeps noster Hulderichus Vuirtenbergensis uictor, cuidam Comiti exactis temporibus iustißimo bello opidulum cum arce expugnasset, uenit quidam sacerdos Comiti notus & familiaris ad Comitem, nuncians rem tristem & damnosam, oppidulum & arcem esse expugnatam & captam à Principe Huldericho. Respondit Comes: nihil obesse, quoniam carius uendere non uoluerit. Ad hæc sacerdos facetissimè, per ueritatem hoc ego libentißimè audio: timui enim maximè ne uilius uendiderimus, deditioni enim interfuerat.

Cuiusdam Iudaicæ mulieris facetum dictum.

Fui olim in oppidulo Hechinga nomine, quod est in ditione Comitum Zollerensium, ibi reperi unam Iudæam, quæ cum esset conspicua forma, fuit & perfe-

ceta, cui ego cũ persuadere conatus essem fidem Christianam, nihil ineptum respondebat. Tandem circumcisionem credidit tantum ualere quantum Baptismum, quæsiuitq; á me, quanti nos Christiani baptismum faceremus. Respondebam, multi, & sine eo claudi portas regni cœlorum. Ipsa uerò subiunxit, at nos Iudaicæ mulieres parum tenemus de circumcisione. Quòd cum causam inquisissem, dixit, quoniam mallemus addi uirorum nostrorum uirilibus portionem quàm adimi, unde cunctis astantibus maximum risum commouit.

Facetum dictum in Molitores.

Venit Mendicus ad pistorem, ut ei eleemosynã exhiberet, propter cognatum artificium. Quæsiuit pistor quod artificiũ esset professus. Respõdit mendicus, molitorẽ se fuisse. Subdit pistor, quot rustici accesserũt molam tuã? Septem respõdit mendicus. Septem? inquit pistor, ô fatuũ caput & ineptũ, prius enim illi septem rustici coacti fuissent mendicatũ ire quàm ego. Alludens ad opinionem, quam (de furto molitorũ) uulgus facit.

Contra eosdem.

Erat quidam regulus, qui molitorem suum, in furto deprehensum, laqueo suspendere uolebat: & cum iam crucem ascenderet molitor, rogauit ille & obsecrabat, perq; fidem obligabat, ut sibi molitorem aliquem ostenderet qui fidus & probus esset. Affirmauit iureiurando molitor se nullum demonstrare posse. Si ita est

(dixit

(dixit regulus) descende & uiue: malo enim te quàm alium furem experiri forsan rapaciorem.

Dictum facetum, wider ein farenden schůler.

Sunt quidam scholastici, qui cum nullius bonæ frugis sint neq; operis, studeant, nec laborare uelint, uagantur hinc inde mendicando, uarijsq; artibus & illusionibus atq; præstigijs simplices rusticos circumueniunt: dicentes se fuisse in monte Veneris (nescio quem mentientes) ubi omnem Magiam didicerint, pollicenturq; mirabilia, de quibus multa in triumpho Veneris scripsi. Ex illorum numero unus olim ad plaustrarium Iustingensem uenerat (qui ab illis persæpe erat delusus) petens ab eo eleemosynam nomine magistri septem artium liberalium, & illius qui in monte Veneris aliquando fuisset, quos uulgus uagantes scholasticos appellat. Tum plaustrarius dixit, amice mi, fuisti ne superiori anno etiam hic? Cum ille abnuisset, uade ergo, inquit & posthac non redeas, nihil enim dabo tibi: Vagans indignabundus, cur se numero singulari alloqueretur interrogat (ita enim amicos tantum & notos, aut uiles & humiles homines Germani affantur) cum sit septem artium magister & magus. Respondit plaustrarius, ego multò plura scio quàm tu, nam uno tantũ artificio manuario me & septẽ liberos cũ uxore solus nutrio et educo: tu autem te solum cum septem artibus

non potes nutrire sed mendicas, ex eo itaq; me honorabis, non ego te. Abijt ille facetißimè derisus. Et ita meritò contingit illis, qui solo titulo gloriantes, nihil possunt de se præstare earum rerum quas profitentur, quàm solum titulum: attamen multò ferocius superbiunt maiori ex parte, quàm illi qui summa eruditione instructi sunt.

De sacerdote uera historia.

Fuit sacerdos Vlmensis, qui cùm concionaretur ad plebem die cinerum in quodam oppidulo, dixit: filij Dei, ego prohibeo uobis hodie omnem cibum humanum, uolens eos coërcere ab esu carnium. Subiunxit rusticus astans, optimè ergo mecum agitur qui meum fœnum nondum uendidi: nam si ita esset, cogerentur homines pabula iumentorum comedere. Idem, cauete uobis à diabolo ò fratres, omnium enim hominum peßimus est: adhærete autem amori Dei, qui adeò dulcis est, sicut iusculorum torridorum pyrorum. Solent enim agrestes homines syluestria pyra torrere, & reseruare ad ieiunium quadragesimale, & postea liquefacere aqua, unde iusculum satis dulce conficitur, cui sacerdos ille amorem Dei comparabat. Idem, cùm concionem primam haberet in oppidulo supradicto, dixit, cathedra illa concionatoria (quam indocti ambonem uocant) ò fratres pinea modò est, oportet ut ex quercu alia conficiatur, ut efficacißima & fortißima uerba mea perpeti poßit: postquam libri mei ad me

afferentur,

afferentur, sermones Gritsch, sermones Discipuli, sermones Dormi securè, & similes autores.

De inscitia cuiusdam sacerdotis fabula perfaceta.

Nesciebat quidam sacerdos satis insulsus, quid esset cantandum in officio diuino die resurrectionis Christianæ, misit itaq; æditnum ad uicinum sacerdotem. Qui cum dixisset, Resurrexi, æditnus literarum ignarus, tantum meminit Re, quod sæpius repetiuit. Quo audito, sacerdos ille simplex & rudis, benè est, dixit. Requiem cantandum est: quoniam diem depositionis (ut uocant) Iesu Christi celebrari conuenit, nam in triduo mortuus est.

Egregium facinus.

Erat quidam Friburgi in balneo, & cum præ cæteris negligeretur, nec debitus honor ei impenderetur, hoc est, non fricaretur manibus eliciendo sudorem: secesßit ad secretiorem locum balnei & ibi cacauit. Postquam ultimò balneator ad eum uenisset, fricareq; uellet: dixit, abi, non est opus fricatione, nam immundus sudor abijt à me, tandem odore suo sudor eius proditus est.

Facetum dictum insulsi hominis.

Sarcinator in oppido Reutlinga quæsiuit tempore paschali à seruo, an sacram Christi communionem in cœna domini adijsset? Respondit seruus, adiui,

& meritò, quia benè mercatus sum. Et quũ ab eo quæreretur quomodo emisset, dixit, accessi enim altare, & ibi pro ea re denarium obtuli. Castigauit sarcinator seruũ de inscitia, quoniam nullo precio nec toto mundo cõparabilis esset. Subdidit seruus, desine ita sentire, nã si ita preciosa res esset, nec tibi, nec mihi unq̃ daretur.

De sacerdote & asino Christi.

Sacerdos quidam, cum de ingressu Christi in Hierusalem ad imperitam plebem concionaretur, dixit, nobili & egregio caballo insedentem illum urbem esse ingressum. Et cum admoneretur ab æditus, asinum fuisse, clamauit alta uoce, uade linge posticum asini, si etiam alijs in rebus honestare possem Saluatorem meum, nullis parcerem laboribus, cuius honorem ego tuebor, donec dominus Ioannes uocabor.

Insulsum dictum.

Noui duos fratres, qui cum funus patris prosequerentur, alter atro, alter contra morem lugentium rufo capitio sequebatur. Qui cum esset correptus à fratre, cur ita incederet, desine ait, nam ita me malè habet in rufo capitio, uti te in nigro.

Fatui cuiusdam facetum dictum.

Dicitur mihi de aliquo stupido homine & fatuo, qui cum funus maternum prosequeretur, cantabat alta uoce. Quem cum pater castigaret, dixit, haud esse te sanum credo pater, cum precio conducas sacerdotes

tes qui cantent, ego uerò gratis concinam.

De Sacerdote faceta historia.

Georgius Ebinger, eques auratus satis celebris & famosus, habebat in quodam pago sacerdotem nomine Vuendelinum, contra quem cum rustici querelam ad eum deferrent, peterentq; in conspectu illius alium dari eis sacerdotem, petiuit euestigiò Vuendelinus alios sibi dari rusticos, asserens se adeò ægrè illos pati posse, uti illi se. Et cum ab eisdem accusaretur, quòd tam raro diuina officia celebraret, respondit, se ideo facere, ne si frequenter sacrificaret, discerent & rustici, qui tam propè sacrificanti astarent, unde sibi tandem emolumentum suum eriperetur. Accusatus ab eisdem, quòd tam rarò domi esset, semperq; foris pransitaret. Respondit, & mures in panario suo esse mortuos, ubi nemo sanæ mentis ei manendum suaderet.

De sarcinatore fabula.

Venit claudus sarcinator ad portas cœli, petiuitq; à sancto Petro intromitti. Denegauit Petrus propter crebra furta, quæ ipse commisisset, uti consueuissent sarcinatores. Ille suppliciter rogauit misericordiam, seq; fessum non posse longius progredi, pollicitus est se tantum post fornacem uelle delitescere, ac sordidissima quæq; officia obiturum, quod tandem multis deprecationibus impetrauit.

Quum autem semel cœlestis imperator, cum toto cœlico exercitu, in quendam hortum extra cœlum pro solatio seceßisset, remansit solus ille sarcinator. Qui cum in absentia domini, & omnium seruorum, cuncta loca perlustrasset, deuenit tandem ad solium supremi regis. Vbi cum omnia mortalium facta conspicere posset, uidit quandam uetulam alteri in liquido riuo lauanti uestes clàm furari, unde indignatus (in seipso expertus quàm graue peccatum esset furtum) scabellum quod sub pedibus habebat, in uetulam furantem conijciebat. Dum autem reuerteretur Rex summus, & scabellum deesse uidisset, quæsiuit quis amouisset? Reperit tandem sarcinatorem, à quo cum caussam audiuisset, dixit, ô fili si mihi ultio & uindicta tam cordi fuisset quàm tibi, iam olim nec subpedanea, nec sellas, nec scamna haberem.

Ad quòd alludit Ouidius:

Si quoties homines peccant sua fulmina mittat
Iuppiter, exiguo tempore inermis erit.

De Inuido.

Erat quidem tegularius, qui cum in summa infirmitate peccata cuidam sacerdoti confiteretur, nec offensam inimicis & hostibus condonare & remittere uellet, dixit sacerdos, nisi hoc feceris, rapieris ad inferos. Si ita est (respondit tegularius (discede protinus à me, non est opus extrema unctione: cogentur enim me deuorare inferi in nomine mille diabolorum, crudum & inunctum,

Facetia de dominatione mulierũ.

In die Resurrectionis dominicæ, concionator quidam Vuaiblingensis (ut plerunq; eo die aliquid ioci & facetiarum inter concionandum afferri solet) carmen triumphale Saluatoris nostri, Das Christ ist erstanden/ *illi uiro demandabat inchoandum, qui domi suæ imperitaret, non uxor. Sed cum diu neminem inueniret, exclamauit, Proh deum atq; hominum fidem, refrixit ne adeò animus uirilis in uobis omnibus, ut nemo uiriliter imperet? Tandem unus rei indignitate motus inceptauit, quem tum omnes communiter uiri, tanquam uirilis honoris uindicatorem, ad conuiuium deduxerunt, & summa liberalitate ac reuerentia tractarunt, quoniam omnibus uiris decori & honestati fuisset. Hoc autem anno scilicet 1506. in monasterio Marchtallo in ripa Danubij sito. Hoc item fecit quidam frater ordinis Prædicatorum: sed cum nullus uirorum incipere uellet, iußit incipere mulieres, quæ imperium domus agerent, ibi protinus omnes de principatu contendentes incœperunt.*

Dictum domini Bernhardi Retz.

Disputauimus aliquando de ordinibus & statibus (ut dicitur) hominum, quàm longè uniuersi à suis institutis ueterumq; probitate recesserint. Cumq; dixissent aliqui, rusticos maiore integritate uiuere quàm ullum aliud hominum genus. Subiunxit dominus

Bernhardus

Bernhardus Betz meus hospes, sibi æquißimos uideri balneatores, quoniam pauperi ut diuiti æquis portionibus calorem in balneo administrarent.

Notabile dictum.

Conradus Vuilensis dixit mihi aliquando in conuiuio quodam, se uindicaturum gladio mortem cuiusdam amici sui, qui adolescentiorem iam pridem duxisset uxorem, zelotypusq; summus esset. Oh sine eum uiuere dixi, uiuit enim in pœnam suam. Consultius enim tibi est, ut decem annos uel plures etiam, in summis perturbationibus, & continuis curis uiuat, quàm quòd una hora omnes dolores finiat: durißimam siquidem crucem suffert, qui zelotypus suspiciosusq; maritus est.

Pulchrum factum cuiusdam militis Tubingensis.

Conradus Biibel Tubingensis, inter præfectos cohortûm Cæsaris Maximiliani in expeditione Vngarica animi magnitudine insignis, cùm in castris supinus iaceret in stramine nihil sinistri suspicatus, superuenit alius miles, cui Conradus aliquando iniuriam fecerat. Qui cum illum in tergo iacentem inuenisset, Germanica animi nobilitate & magnitudine usus, dixit, nisi iaceres ego te gladio transfoderem. Subiunxit Conradus, non uis me lædere nisi stantem & paratum? & ille annuisset, quoniam turpe duceret quenquam parum

uiriliter adoriri aut inermem conficere. Nunquam igitur hac nocte surgam inquit Conradus. Sed postridie alterum cuspide transfixit.

Pulchra historia simplicis prætoris & furis.

Domini mei de Stœffel liberæ & excellentis nobilitatis, quos barones uocant, habuerunt prætorem uillanum. Is quum olim quendam furti accusatum, & conuictum iam ad crucis tormentum damnasset, prius rustica simplicitate in sacram ædem misit, ut peccata sua confiteretur, accepta prius fide, ut post confeßionem reuerteretur. Ille intrauit ædem, confessusq; est, & non attenta ecclesiastica immunitate, ubi saluus esse potuit, fidem prætori seruauit, ac regressus & se religari passus, ad ultimum supplicium profectus est. Tanta autem animi alacritate ad patibulum ascendit, ut mortem desideranter sitiuisse crederetur, mihi ab infantia notus. Sacerdoti uerò, cui confessus erat, plurimi maledicta ingerebant, quòd hominem imprudentem non admonuisset, ne ecclesiasticam libertatem exiret.

De fatuo rustico.

Cuidam ditißimæ uiduæ unicus erat filius, sed crasso, pecuarioq; ingenio, omniumq; stultißimus: qui cum in uicinia quandam uirginem nobilem efflictim deperiret, petit illam sibi dari uxorem. Parentes uirginis,

uirginis, etsi nobiles essent, inopia tamen & angustiæ rei domesticæ premebantur, neq; facilè eorundem natalium filiæ uirum deligere potuerunt: unde opulentia rustici permoti, non difficulter sunt precibus eius assensi. Mater autem illius stultitiæ nati conscia, uerita ne propter incompositos mores uirgo illum negligeret atq; fastidiret, curiosè satis, quibus moribus esse debeat, instituit. Et cum primùm fatuus uirginem adijsset, conciliandi amoris gratia, uirgo abeuntem chirothecis donauit ex aluta, hoc est, tenuioribus pellibus confectis: quibus cum indutus abiret, imbris tempestate in nihilum redegit. Vnde mater eum corripiens, aiebat: debebas fili thecas complicasse, atque pectorali inuoluisse. At ille secundò uirginem accedens, accipitre donatus est, abiens ergo & maternæ institutionis memor, eundem pectorali inuoluit: cumq; matri munus ostendere uellet, mortuum accipitrem eduxit, quem rursus mater castigans, ait eundem manibus gestandum fuisse. Tertiò, cum uirginem salutasset, nec prius thecas aut accipitrem curasset, donauit eum illa cribro frumentario ex præcepto matris, abiens hoc ineptum capitulum cribrum super manibus, uti accipitrem debuisset, gestauit: matre iterum docente, idem equinæ caudæ appendi debuisse, memoriæ commendauit. Vltimò uirgo desperatos hominis mores contemptui habens, eũ larido condonauit: quod ille abiens caudæ equi appendit, in diuersasq; par-

tes antequam domum ueniret, per rubos & sentes discerpsit. Tandem mater uerita ne filius propter incompositos mores omnino repudiaretur, custodiam domus illi commisit, ipsaq́; ad parentes uirginis profecta est, obtinuitq́; ut dies nuptiarum diceretur: filio tamen mandata dedit, ne quid interea turbarum domi faceret hac abeunte. Ipse uerò se in apothecas uinarias cōtulit, uinumq́; depromere uolens, totum uas in pauimentum profudit, quod ne mater uideret uini profluuium, tosto farre & quidem plurimo constrauit. Deinde in cœnaculum diuertens, & insolēter ingressus anserem incubantem exterruit, qui clamitans Gag gag gag / *stulto timorē incußit, quasi diceret,* Ich wils sagen / *quare anserem arripiens, quòd se dicturum polliceretur, quæ in cellis uinarijs egisset, obtruncauit, seq́; & totum corpus protinus melle, quod in propinquo uasculo inueniebat, colliniuit, contractisq́; undiq́; ex puluinaribus plumis ex mellis natura, in locum anseris incubandi gratia consedit. Matre itaq; ex arce uirginis domum repedante, filium more anseris incubantem reperit. Quæ dum ostium pulsasset, filiumq́; uocasset, respondit filius,* Gagag / *quasi uoce & incubatione anseris officio fungeretur, tādem relicta cauea, multis minis & interminationibus matrem intromisit. Quam cum nuptura uirgo illicò subsequeretur, illa omnia incommoda quæ interim commiserat indulgendo, illum instituit, quibus moribus sponsa esset salutanda,*

 tanda,

tanda, ut scilicet oculos hilarè & comiter in eam conijceret. At ille hac adueniente, maternis ouibus uniuersis oculos eruit, omnesq; illos in faciem uirginis proiecit: sic enim oculos in eam conijciendos esse putauit. Nihilominus tamen diuitiæ, optimum amoris uinculũ, matrimonium procurauerunt, quæ cui suppetunt, nobilitatem, formam, prudentiam, & cũcta alia donant.

De imperito sacerdote historia.

Dum in libro cuiusdam sacerdotis contineretur festum cõceptionis uirginalis, sacerdos ille cũ peruenisset ad Euangeliũ ubi dicitur. Abraam autem genuit Isaac, Isaac autem genuit Iacob &c.. ipse cõmutando festum conceptionis legebat. Abraam aũt concepit Isaac, Isaac aũt concepit Iacob, &c. Cum autem reprehenderetur à quibusdã, Vultis uos (inquit) corrigere sacrã scripturam? uidete breuiarium meum: Illi uiso breuiario, & stultitia hominis, industriam illius effuse laudauerunt.

Fabula de adultera.

Habebat quidam rusticus uxorem impudicam, multisq; adulterijs famosam: quam rem maritus ægerrimè ferens, ad socerum detulit, repudiaturumq; eam minitatus est. Socer consolatus generum, æquo sis animo, ait, sinasq; eam suis moribus uti ad aliquod tempus, reuocabitur enim aliquando ad pudorem & continentiam, sicut & mater eius uxor mea, quæ cum in uiridiori ætate ijsdem criminibus obnoxia esset, at-

tamen nunc cum est confecta senio, omnium castißima est, ita & spes firmißima est de filia.

De Eremita.

Vidimus nuper Eremitam promissa barba insignem, qui cum multæ sanctimoniæ ab aliquibus prædicaretur, surrexit unus ex nostris, qui paruam existimationem tribuebat uniuersis illis eremitis, dicens. Vnde sanctitatem auguramini, an ex promissa barba? non est sic ò simplices sodales: si enim barba probitatem adderet, hircus esset uel omnium probißimus.

De contemptoribus poëtices.

Exposuerat mihi iam pridem unus discipulorum meorum, quòd multi eum odio prosequerentur, quoniam deditus esset studijs humanitatis. Quæsiui, an ne docti? negauit, uerum rudes esse, à Musisq; & Gratijs penitus alienos. Tum ego, nescis dicebam, scientiam non habere inimicos nisi ignorantes eam, ut est in ueteri prouerbio, unde nequaquam perturbari debes: Faciunt enim sicut olim uulpecula quædam, quæ cum pyrum arborem cauda tentaret mouendo ut pyra caderent, & frustra mouisset, quia nulla cadebant, dixisse fertur, O quàm amara sunt ista pyra, ego nunquam manducare potuissem. Subiunxit alter, eandem uulpem olim ad multa millia passuum asinum secutam esse, quòd testiculos eius qui casuris similes uidebantur speraret, & cum tandem spe sua frustratam

se uideret, dixisse, O quàm nigri & fœtidi, ego nunquam illos esse potuissem. Sic profectò fit, nemo doctus & disertus unquam uituperauit poeticam & studia humanitatis, sed solum illis nigra sunt ac contemptui, qui nihil & legerunt & didicerunt, quibus natura inuidit, aliquid egregium intueri atq; cognoscere, sed quibus profectò non inuideo suam ignorantiam.

De Histrione.

Histrio quidam cum noctu quosdam fures in domo sua deprehēdisset, ait ad illos; nescio quid uos nocte hic inuenire uelitis, cum sereno die ego nihil inuenire possim.

De quodam equum emente.

Quidā emens equū, quæsiuit à uēditore an ualeret? Respōdente uenditore, ualere. Quæsiuit, cur uenderet? Respōdit ille, quia nimis comederet, quem ipse pauper ægre aleret. Quærēte uero emptore de alijs malis habitudinibus, respondit uenditor, Nullā aliā habere, quā quòd nō ascendat arbores, Cum autem emptor domum rediret, atq; equū omnes mordentem uideret, dixit uerū esse quòd nimis comedat. Posthac ueniens ad ligneū pontem, nō potuit equum compellere ut transiret pontem, inde inuenit equum non ascendere arbores.

De quodam in tempestate maris deprehenso.

Quidam orta tempestate in mari, cœpit auidißime

comedere carnes salitas, dicens, Hodie *plus se habiturum ad bibendum, quàm nunquam antea.*

De alio.

A*lius cum coorta tempestate uniuersi res ponderosiores in mare proijcere iuberentur, uxorem suam in mare primùm proiecit, nullam se grauiorem rem habere testatus est.*

De concubina sacerdotis.

D*ixerunt maiores nostri, tempore melioris et probioris æui, concubinas sacerdotum in aëre à dæmonibus non aliter quàm feras sylueſtres à canibus uenaticis agitari, atq; tandem discerptas inueniri: quòd si hominũ quispiam hæc audiens, uenationem suo clamore adiuuerit, illi partem uel membrum concubinæ dissectum, ad ianuam domus manè à dæmonibus suspensum.* Vnde *cum nuper quidam sacerdos concubinæ suæ totus deditus, ad arbitrium illius omnia faciens, præfectum pagi cuiusdam rogasset, ut pro solatio eam in rhæda per niuem ueheret, ut mos est nostris hyemali tẽpore & diebus bachanaliorum.* H*æc cum fierent, prosilijt quædam mulier et dixit.* O*lim dæmones in aëra uexisse meretrices sacerdotales, nunc hoc facere in altis curribus præfectos, & potentes huius mundi, atq; omnia præpostere fieri.*

De quodam Abbate lasciuo.

Q*uidam* A*bbas quandam puellam uitiarat, cuius*

ſacietatem cum cœpiſſet, expulit eam indotatam & rerum omnium egenam à ſe: quæ repulſa, ægeſtatem atq; profanatam pudicitiam ægreferens, herum et dominũ ſuum naturalem adijt, hominem nobilem & mihi notiſſimum, cui conqueritur rem geſtam. Nobilis cum nec precibus, nec minis per internuncios pro uitio uirginis quicquã extorquere poſſet, tandẽ & ipſe Abbatem acceſſit, atq; uirgini quadraginta aureos ſumma acerbitate poſtulauit. Abbas uero timens hominis ſibi noti ferocitatem, iracundiam & pertinaciã, dixit in ſuis ſtatutis & regula (ut ipſi loquuntur) contineri, pro ſtupro nulli puellæ ultra uiginti aureos dari debere. Cui nobilis: In regula ueſtra hoc continetur? Proh deûm atq; hominũ fidem, quæ eſt iſta regula, quæ religio, quæ non de continentia & ſanctimonia uitæ, ſed de turpitudine inſtituta dedit? Peream niſi ſummus nebulo impoſtorq; profanus fuerit talis inſtitutor. Cui Abbas, Noli, inquit, in tam ſanctos patres acerbius loqui, præſertim cum ſummi pontificis conſenſus et confirmatio acceſſerit. Ad hoc nobilis reſpõdit. Per pellem Dei (ita enim quibuſdã iurare mos eſt) nec patres nec papa probus. Et quid ad me quid Papa tibi conceſſerit? confirmaui ne ego? ut aliquid uobis Papa in meũ meorumq; præiudicium & iacturam conceſſerit? Non ſic pater ſancte: quare niſi breui ſatisfeceris mihi, neq; Papa neq; regula tua ſatis te defendet. Atq; ita abiẽs publicas inimicitias Abbati indixit, nec ante reconcilia-

tus

tus est quàm Abbas centum aureos, domum, atq; rustica prædia puellæ in dotem dederit, dum in principio ultra decem aureos non postulauerit.

Pulchra contentio duarum mulierculárum.

Noui mulierem satis imperitam, attamen uerbosam, quæ cum contenderet cum alia de ablata quadam lana, dixissetq; ad alteram, tu es meretrix & fur: subiungit postremò, & ego scio me tam bonam ac probam quàm tu es. Risimus omnes, dum prius illam meretricem & furem nominasset, & tandem se ei cōpararet.

Facetia de uiatore rufo & caupone.

Fuit quidam caupo rufus, ad quem diuertens uiator multo rufior, qui deponens apud eum uiginti aureos nummos, post paruám moram repetiuit, Caupo igitur admiratus, cur tam citò repeteret pecunias, interrogat, cur reposcis cum nondum uelis abire? Respondit uiator, quia rufus esset: quæ species malignam naturam designaret, iuxta hunc uersum.

Rarò breues humiles uidi, rufosq; fideles.

At Caupo, tu me multo rufior, inqt. At hoc uiator, benè est, eò melius te nosco, naturā tuā ex me diiudicās.

De alio rufo.

Solent nostri dicere, postquàm uident rufum hominem, ille esset malus caminarius, hoc est, ille qui caminum mundaret. Quum uerò quæritur ratio, dicunt,

Nam si caput extra caminum erigeret, crederent rustici esse ignem, atq; undiq; concurrerent pulsarentq; campanam quam uocant, quæ tumultus uel necessitatis gratia homines conuocat.

De alio lugente.

Cũ nuper in ieiunio, anno 1506. haberemus aliquot conuiuæ rusticũ Vuilpergensem hospitem, qui habebat promissam & rufam barbã, quæsiui cur deferret. Respõdit, quia lugeret socerum. Ego autem dixi, Nullo modo: nam is color, rufus scilicet, nõ ad luctum, sed ad lætitiam adhiberi solet. Vnde omnes conuiuæ sunt non mediocriter ad risum commoti. Ille agresti simplicitate in pudorem uersus, dixit, Verum quidem est, attamen ita male me habet in rufa barba, sicut alium in nigra.

De quibusdam simplicibus rusticis.

Prope patriam meam est uicus agrestis, nomine Mundinga, istic dicuntur in primis esse simplices rustici, illorum unus semel ad forum Ebingense profectus, cum domum rediret, audiuit in confinibus duos cuculos sibi inuicem suo cantu respondentes. Erat autem unus in silua Mundingensium, alter in sylua finitimæ uillæ. Et cum cuculus alterius syluæ suum clamore superare uideretur, ille dimisso equo cui insidebat, ascẽdit arborem, atq; suum cuculum stridore illo incomposito adiuuabat. Interim lupus equum illius deuorauit: quare rusticus repedans domum, suis compaganis con-

queſtus

questus est, quomodo propter reipub. honorē & communis emolumenti gratia, quòd sum cuculum iuuisset, accepisset hinc non mediocre damnum. Vnde illi consensu communi & impensis, damnum illius subleuauerunt: indignum iudicantes, ut qui pro salute & honore publico laborasset, inde iacturam pateretur.

De ijsdem.

Iidē rustici cū haberent saltuarium, & illū qui fruges conseruaret in agris, ægre tulerunt quòd pedibus fruges cōtereret: atq; cōmuni consilio statuēre, ut quatuor eū stipitibus & uallis portarent, nō intelligentes, quatuor plus nocere quā unum. Hæc & alia plura fecisse dicuntur, quæ suo tempore posteritati prodemus.

De quodam doryphoro.

In bello Heluetiorum erat quidam doryphorus, nomine Mattheus Bulachius. Is cum uidisset rusticos minus ad bella idoneos (qui sericos panniculos per pilea implicare solent) dicere solebat, Vos eritis milites mei. Cum illi interrogassent, quare? subiunxit: Da weiß ich ein hetzen näst auff einer Eych / das will ich morgen außnemmen vnd stürmen. id est, Ego scio nidum picæ alitis in alta quercu, hāc ego oppugnabo cras, atq; nidum spoliabo. Designans eos esse homines imperitos & syluestres, non aptos ad bella.

De Paulo Wüst.

Paulus Wüst / id est impurus ex incōditis salibus

& scomatib. cognominatus, cũ Eberhardus Princeps noster barbatus rogasset eũ:ut suus familiaris esset. Respõdit, pater meus procreauit sibi propriũ fatuũ, tu itẽ si uis unum habere, facias tibiipsi sicut pater meus fecit.

De quodam rustico.

Ego nosco rusticum, qui cũ esset factus pretor pagi sui, uenit non longo pôst tempore ad balneum in Minsingense oppidulum. Cumq; ibi inuenisset quendam quo cum olim equos pauisset, dixit inter cætera (cum ille gratulatus esset ei de pretura adepta) quis æstimasset unquam, bone amice, dum eramus hipponomi, quòd ego indignus prætor factus aliquando essem? Credens se tam grandi in magistratu collocatum, ut singulari etiam augurio & fortuna opus fuerit, quum tamen ultro nouem rusticos non haberet sibi subditos.

Puerperæ cuiusdam iocosum dictũ.

Fuit mulier, quæ cum recentem iam puerum peperisset, cæteræq; mulieres gratularentur ei, dicerentq; (ut fit) puerum omnino patri similem: interrogauit an etiam rasuram haberet in capite, designans sacerdotis esse filium, & ita se & adulterium suum notum fecit.

De studente lepidum dictum.

Ego habui ante aliquot annos conterraneũ Schlecklingensem in studio nostro Tubingensi, qui cum aliquoties ad gradum Baccalaureatus (ut uocant) aspirasset, nec unquam obtinere potuerat, tandem spe omni ablata, dixit,

ta, dixit, non est necesse ut fiam baccalaureus: nam & Christus habuit duodecim discipulos, & tamen nullus eorum fuit Baccalaureus.

De auaro Sacerdote.

Fuit mihi aliquando contentio cũ auaro sacerdote, quomodo diuitiæ essent maximum impedimentum ad beatitudinem consequendam: & quomodo uita & doctrina Christus semper detestatus fuerit diuitias mũdi, adeò ut diceret, quicunq; se uellet sequi, relinqueret omnia. Et cum plura in eam sentẽtiam dixissem, dixit ille tandem commotus, Christus fàcile potuit cõtemnere opes cũ non indigeret, quòd si omnia coactus fuisset mercari quemadmodum ego, ipse profectò nunquam dixisset ita. Et cum dixissem, in Deũ esse confidendũ, ut Apostoli & martyres fecerunt, quoniam neminem desereret. Dixit ille sacerdos, ea confidentia se ita delusum esse sæpe, ut extremam famem tolerasset: ita ut nisi propria industria sibiipsi subuenisset, fame periisset: Quare (aiebat) nemo debet nimium confidere in deũ, quoniam si subuenit, hoc tamen tardè facit.

Facetum dictum.

Cum aliquando diceremus de efficacia dominicæ orationis, subiunxit quidam ex tempore, apud se hãc orationem nullas habere uires. Et cum interrogaretur causam, dixit. Nam quotidie ego dimitto debitoribus meis, sed nullus mihi debita mea dimittit; ideo frustra

oro

oro, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

Confessio lancearij seni monacho.

Eo tempore cum Sueui, & cæteri lancearij militabant in inferiori Germania pro Maximiliano Cæsare contra Brugenses, lancearius quidam monacho admodum seni Coloniæ Agrippinæ est cõfessus, & inter cætera dixit, se habuisse rẽ teutonicè mit einer Nonnen / quod significat apud nos, & sanctimonialem & porcam castratam. Monachus intelligens porcam esse, dicebat illum esse & hæreticum & pessimum, nec se habere facultatem absoluendi. Lancearius autem intelligens errorem nominis, dixit sanctimonialem esse: atq; sic nominari in patria sua, & non esse porcam. Quod audiens frater, quia mulier fuisset, dixit, Benè actum si est mulier: sed ego profectò nihil plus possum, dolenter exprimens suam impotentiam.

De quodam lanceario.

In eadem militia, meruit ad aliquot annos mihi notissimus, qui, cũ ad duos annos ab uxore absfuisset, ipsa nihilominus puerum peperit: quod ubiq; narrare solebat, se habere fœtuosam & fructiferam mulierem, quæ se etiam absente pueros gigneret.

De quodam Sacerdote.

Notissimus est mihi sacerdos, cui cũ semel rusticus confiteretur peccata, præter cõfessa noluit eũ absoluere, quo-

re, quoniã secũ publicos peccatores detineret. Rusticus *obstupefactus, negauit: ille uerò constanter affirmauit, quoniã iuuencũ admissariũ aleret (quoniã rustici publicè alunt pro uaccis talem iuuencũ causa prolis procreandæ) nec nisi consilio doctorum illũ tandem absoluit.*

De rustico.

N*oui rusticum qui pinguefacere cupiens porcum, tantùm illi in die cibũ bis porrexit: & cũ semper macer maneret, indignatus ille cõquestus est uicino.* A *quo cum correptus esset quòd non bis, sed ter uel amplius deberet pastum porrigere.* R*espondit rusticus,* T*er uel amplius nullo modo: quoniam ego homo cum maximis laboribus contentus sum bis comedere in die. Credens hominem laboriosum plus debere esse quàm porcum.*

De quodam equite aurato.

Guillielmus Station eques auratus, cũ alij in alienis diuersorijs quærerent de lautis cœnis, ipse tantum de optimo lecto & mundis linteis quæsiuit, dicens, Cœnam uix ad horam durare, soporem autem & quietem nocturnam ad septem uel octo horas.

De quodam nobili.

I*acuit nuper mecum quidam nobilis scholasticus, quem cum sæpe adhortatus essem, ut in honore tantæ festiuitatis (erat enim natiuitas beatæ uirginis) maturius surgeret, atq; in fanum properaret.* Q*uæsiuit ille (ignarus qualis dies esset) an festum circumcisionis*

beatæ uirginis celebraretur. Quod tantam præbuit omnibus audientibus ridendi materiã, ut pene in prouerbium uerteretur.

Sacerdotis iocus non illepidus.

Sacerdos quidam notißimus nomine Fysilinus, cum esset conductus ab Achantinopolitanis pro elemosynis conquirendis ad fraternitatem sancti Sebastiani, quem religiosè colunt: & aliquis quæsiuisset, quod esset salarium eius annuum? & ipse uiginti aureos respondisset, Subiunxit alter, nimis tenue esse. Ad hoc Fysilinus, uaria, inquit, sunt emolumenta mortalium: nam quæ mihi donantur, & quæ furto conquiro etiam mea sunt: bonus est insuper S. Sebastianus, quamcunq; inter me & eum diuisionem facio, semper silet & contentus est.

Eiusdem iocosum factum.

Idem cum semel ad tabernam meritoriam diuertisset, atq; Caupo in ollam fornacis mingeret, quæsiuit cur hoc faceret? Respondit Caupo, quia cras esset emigraturus. Fysilinus quam primum Caupo abijsset, cacauit post fornacem. Inde postquam Caupo redisset, atq; fœtore detestato, cur illic cacaret interrogaret. Respondit ille, tu propterea, quia cras uis abire, minxisti in ollam, minus curans domus ornamentum: ego quia hodie abibo, multò minus curaui, ideoq; hoc illud feci, ut domum relinquerem fœtidiorem.

Eiusdem iocosum quoddã respõsum.

Idem

Idem cum semel ad principem nostrum barbatum uenisset, peteretq; sacerdotium quoddam ac benificium quod uocant. Princeps cui iuuisa erat leuitas hominis, si mille, inquit, uacarent mihi beneficia, ego minimum tibi non conferrem. Ad quod ille liberè, & è uestigio respondit, si millies diuina celebraturus sit, nunquam illius se recordaturum, neq; pro eius salute oraturum.

Eiusdem de reliquijs facetia.

Idem cum tempore pestis in uiculo quasdam reliquias sanctorum circumferret, quocunq; peruenerat prædicauit cunctis gentibus, & pollicitus est sanctè, quicunq; osculatus esset eius reliquias, eo anno nunquā peste moriturum: unde multam pecuniā corrasit. Tandem admonitus à quodam doctore, ne hæc tam absona diceret, aut plebem ad falsam credulitatem induceret, aut unde hanc uanam persuasionem hauriret. Respondit promptißimè, ego benè dixi, quòd quicunq; reliquias osculatus fuerit ille liber sit à peste: sed rustici uitrum tantum osculantur non reliquias, sinerem enim rusticos (ut eius uerbis loquar) diabolo deuoueri, antequam mihi oscularentur reliquias meas, quas tamen multi credunt esse equorum aut asinorum ossa.

De eodem.

Idem cum semel ex sacco suo uellet depromere reliquias, quibus rusticos decipiebat, nihil inuenit nisi fœnum; rustici enim priori nocte reliquijs clàm ablatis,

ablatis, ioci gratia fœnum imposuerunt. Ille extracto fœno mox ad uersutum ingenium uersus, dixit, Illud esse super quo die natali in præsepi requieuisset Saluator noster infans, & illius esse efficaciæ, ut nec adulter nec adultera accedere auderet. Vnde etsi multis mendacium uisum fuerit, ne tamen quisquam in suspicionem ueniret adulterij, turmatim mulieres & uiri accesserunt, fœnum oblationibus uenerantes.

De eodem.

Idem deposuit cum hospita pro lautißimo prandio, quòd & ea ipsa suum altare accederet, & obtinuit: nam hospita maluit soluere prandium, quàm esse in suspicione adulterij, cuius ille insimulauit omnes, qui eius reliquias non uenerarentur.

De stationario.

Alter ex his, quos nostri stationarios uocãt, cũ pro furatis reliquijs carbones inueniret: eductis illis, dixit eos esse, qbus S. Laurentius esset cõbustus. Tãta enim est nequitia illorũ hominũ, ut nihil nõ audeãt emẽtiri.

Historia de Parocho & rustico.

Audiui nuper quandam fuisse controuersiam inter parochum & rusticum. Nam cum rusticus dixisset (sacerdoti infestus) habere se asinum parocho illo prudentiorem, Item regnum cœlorum in sua domo tenere, uel infernum, utrum uelit, Item deum facere quicquid uellet: accusatus est à parocho apud præfectum uillæ, tanquam

tanquam impius, & de fide suspectus & contumeliosus, quodq́; asinum prudentiorem se dixisset. Rusticus publicè accusatus & ad excusationem admissus, ita defendebat se. Primum benè dixi, ait, asinum meum parocho nostro prudentiorem, nam tantum bibit ut solus domum repedare possit: ille autem tanto mero se replet, ut ire non possit, neq; propriam domum cognoscat, uti uos ipsi ô iudices experientia ipsa didicistis, & æstis mihi testes locupletissimi. Secundò Deus facit quicquid ego uolo, nam quicquid Deus facit hoc ego uolo & debeo uelle, & optimum iudico. Vltimò parentes ego habeo ætate confectos, quos si piè & liberaliter foueo obseruoq́; plurimum, sine dubio mihi regnum cœlorum iuxta sanctorum patrum traditionem polliceor: si uerò malè tractauero, infernus domus mea erit. Dixit item quarto, centum aureos se alicubi reposuisse, quos nemo inuenire uel sibi furari posset, intelligens pauperibus largitos esse.

Alia historia de ebrio.

Vidi hominem in Reutlinga oppido, forma, ætate, atq; proceritate satis conspicuum, qui cum in taberna uinaria (ut nunc mos detestandus in nostris regionibus inoleuit) compotando ita inebrietus esset, ut neq; pedes neq; caput suo offitio fungerentur, portabatur manibus conuiuarum in domum matris suæ. Cum uerò ille matrem conspexisset, dixit ad illam, uti etiam me præsente confessus est, mater age gratias hominibus,

ipsi portant me, quod postea in prouerbium uenit.

De sacerdote.

Noui ego sacerdotem, qui cum sub excommunicatione uigiliam S. Matthiæ ieiunandum esse præcipere debuisset, præcepit per iuramentum.

De imperatore Friderico III.

Fridericus tertius Romanorum imperator, cum semel uenturus diceretur in Reutlingam oppidum principis nostri, oppidani miserunt legatos ad illum, deprecantes ne ad se diuerteret, quoniam pro eius magnificentia & honore Cæsari exhibendo non sufficerent, nec commeatu nec ædibus pro illius dignitate instructis, nihilo horum motus Cæsar, dum in oppidulum uenisset, equiq; crurum tenus in luto palearum incederent, dicitur Cæsarem dixisse: Videte propter Deū, quàm probi & boni sunt ij homines, qui mihi & saluti meæ tam benè consuluêre, dum nobis timuerunt, ne in luto submergeremur.

Insulsum dictum rustici cuiusdam.

Cum cuidam rustico in montibus Heluetiorū uxor omnesq; liberi peste obijssent: rusticus indignabundus, ego semper audiui, inquit, quicquid homini charum sit, aufert ei diabolus.

De eodem.

In ijsdem montibus, rusticus, ut moris est, fœnum torrebat, ut fœnili inferret: cumq; nimbus superueniēs

opus

opus ipsius impediret, dicebat ille, O bone Deus ne cõmittas precor, quòd nemo te amat, uti profectò facis. Credebat enim Deum debere rationẽ habere fœni sui.

De mercatore & nobili.

Fueram nuper in symposio, ubi urbanißimis facetijs exhilarabamur, præsertim nobilis quidã mercatori illudebat, quòd sæpe in longinquas regiones proficisceretur, relicta uxore in ea urbe, ubi pulcherrimorum adolescentium maximus esset conuentus, proinde sæpius torqueri uxoris cura, ne interea loci à recto itinere deuiaret. Cum nobilibus autem melius agi putabat, quòd se absentibus uxores cogerentur esse in arcibus, seclusæ ab hominibus. Tum subiunxit facetißimè mercator, parce precor, sinas & me tecum iocari: scis prouerbium esse apud nos, nobiles esse deformes, & nobilitatis pedissequam deformitatem, ac filios ciuium pulchros? Cum ille annuisset, hæc est causa, inquit mercator, in absentia horum qui urbes habitant, pulcherrimi iuuenes adeunt eorum uxores, unde formosa proles generatur, in nobilium autem absentia coqui & stabularij prouidẽt uobis uxores, à quibus illa deformitas uobis inducitur. Sic rem risu & hilaritate finiuimus.

Historia de Iudæo.

Duces Saxoniæ habebant Iudæum, multarum rerum experientia insignem, quem ob eam rem multa

beneuolentia prosequebantur, summisq; conatibus studebant auocare à Iudæorum incredulitate, atq; ut Christianus fieret multis precibus adhortabantur, Iudæus tandem illorum precibus paulisper motus, dixit, se prius Romam profecturũ, ubi Christianæ fidei principem & mores eius cognosceret, post deliberaturum. Atq; Romã profectus, et mores Romanæ urbis expertus, ad principes cũ rediret, dixit, se uelle Christianum fieri, atq; ideo, quoniam Romæ tam deprauati mores sint, ac adeò omnia flagitijs & turpitudini obnoxia, ut nisi singulari ueri Dei auxilio protegeremur Christiani, & nisi tam Deum appropinquantem haberemus nobis, nullo pacto res & fides nostra consistere posset.

De nobili & monacho.

Nobilis quidam patribus nostris notißimus, atq; bellator egregius, cum publicus esset cuiusdam imperialis ciuitatis hostis, atq; monachum quendam ciuitatem intrare uolentem apprehendisset, portantem pannos pro uestiendis confratribus suis, ille partem panni monacho abstulit, ut & se uestiret. Monachus indignãter abiens, minatus est in extremo iudicio illum pannos redditurum. Quod nobilis audiens abstulit ei reliquum pannum atq; pallium, dicens: quum talem mihi dilationem, & tam diurnum terminũ soluendi concedis, ego si possem tibi etiam monasterium auferrem.

Eiusdem de pace tractatio.

Idem cum de pace agitaret & compactione cũ illa ciuitate, cuius antea dixi fuisse hostem, atq; primores illius urbis multa millia aureorũ pro iniuria & damno illato ab eo postularent, dicitur deprompsisse ex crumena Bohemicum denariũ, atq; dixisse: Vt uideatis me patres esse soluendo & de soluentibus, ego modò uobis hanc exhibeo pecuniam: in posterum forsan plus dabo. Irridens uanam eorum postulationem, cui ne tota quidẽ familia & prosapia eius satisfacere potuisset, quorum etiam amicitiam uel inimicitiam paruifaciebat.

De altitudine cœli.

Concionatus est paucos ante dies quidam monachus, tantum esse spatium à cœlo ad terram usq;, quod in quindecim annis lapis molaris non decideret, hoc postea cum tractaremus in symposio, mathematicorum disciplinam perscrutantes: surrexit unus qui negauit monachum uerum dixisse, Nam nuper, inquit, in die ascensionis dominus noster Iesus Christus à terra in cœlum ascendit, quod maius est, post nonas, uoluitq; tempestiuè esse in uesperis apud superos.

Christiani & Iudæi disputatio.

Matthias quidam Vlmensis, parum prudens, in libris tamen Bibliorum multum exercitatus, disputabat cum Iudæo de fide eius & Christianorum, utra melior uel uerior esset. Tandem dicebat, uos Iudæi non signati baptismate, in extremo iudicio, sicuti ca-

nes à carnifice in urbibus non signati à dominis cædemini: nos autem signati, impunes erimus. Tum Iudæus interrogauit, ubi estis signati? Matthias respondit, charactere baptismatis (ut loquuntur Theologi) qui est impressus animabus nostris. Adhæc Iudæus dixit: cum in extremo iudicio aderitis cū corpore, nemo poterit uidere hoc signum animæ, nos uerò Iudæi sumus circumsione & præputio signati. Cui Mathias, O impudentißimum Iudæum, inquit, uelles tu in cœtu summi iudicis atq; tot millium hominum ostendere uirilia, & pudenda educere? uade ad patibulum cum tua impudentia. Itaq; uictor se iudice abijt.

De sacerdotum in laicos dominatu.

Cum nuper in monasterio ad duplices aquas, quod uulgo Zwifalda dicitur, mentio facta fuisset de uarijs mortalium fortunis, atq; pontificum sacerdotumq; diuitijs: surrexit Bernhardus Hußlin Nyffensis, Scriba Abbatis, atq; in hæc uerba sic locutus est. Sacerdotes & pontifices omnino oppresserunt nos laicos, atq; ad omnem seruitutem redegêre. Primùm enim excogitauerunt modum, ut secreta nostra cogamur eis dicere per confeßionem. Cogimur item intrare fana deorum, & tum etiam eis pecuniam offerre, ipsi autem non intrant nisi emolumenti gratia, cumq; intrauerint, solius laboris quòd canere debent adminiculum & releuamen excogitauêre, campanas quas uocamus: item quæ organa uocamus, ut eò minus cogantur can-

tare excogitauerunt. Hoc *unum adhuc supereſt ad quod noctu diuq́; laborant, ut pro eis ad inferos deſcenderemus.* Alter, *cum uina libertatem loquendi pariant, dixit, ſacerdotum tam firma eſſe coniugia, ut dirimi non poßint, niſi duobus & quadraginta unoculis æedituis, quos companatores uocant, dum ex improuiſo in unius uillæ dedicationem conuenerint, illos ad omnem contractum dirimendum eſſe efficacißimos.*

Sacerdotis faceta concio.

Dicitur *mihi de quodam ſacerdote, qui cum ad ruſticos ſuos concionaretur, uehementerq́; eorum uitia deteſtaretur, eosq́; inferorum mancipia affirmaret, niſi reſipiſcerent, atq; à uitijs deſiſterent.* Tandem *ſubiunxiſſe,* Cum *ego uenero in regnum patris cœlorum, dicturus eſt ſaluator noſter, benè ueneritis domine* Ioannes. Et *ego dicam* Gnad herr / Sed *quum quæſierit, ubi ſunt ſubditi ueſtri?* ſo ſtand ich den als ob mir in die händ geſchiſſen ſey / *hoc eſt neſcius quid agam, aut quo me uertam, dum nullū ex uobis uidero.*

De ſimplici ruſtico.

Quidam *ruſticus cum uicini uxoris funus efferretur, acceßit ad conſolandum illum, dicens,* Doleo *uicine uxorem tuam cœlos petiſſe: mortem enim circumloqui uolebat, qui uicinus ex eadem ſimplicitate, habeo tibi gratias: utinam tu nunquàm illuc peruenias.*

Iocoſa reſponſio cuiuſdam puellæ.

In monasterio Zwifaldensi faber ferrarius, ætate satis confectus, puellam adulescentulam & pulchram cum contrectaret manibus, ut libidinosa aliquando senectus solet facere, atq; podicem clunesq; apprehendisset, dixit, ibi adhuc ô Elizabeth multa latent, prælia uenerea intelligens. Ad quæ puella, desine, inquit, nullum enim præmium militæ ibi obtinebis. Schweig nun du würst kein Ritter da. *Atque credo mulierem tuam te fecisse emeritũ hac in re militem.* Aber so eins Falcken nit hatt/müß es mit Eülen beissen.

De monachorum auaritia.

Quidam frater mendicus audiebat confeßionem diuitis hominis in lecto decumbentis ac agonisantis. Post confeßionem itaq; adduxit unigenitum filium ad patrem ægrotum, atq; de multis donis quæ confratribus suis pater legasset, enarrauit pro parentalibus, pro anniuersario, pro sepultura, pro calice, pro indumentis sacerdotalibus, ac multis alijs, & ad quamlibet particulam quæsiuit à patre, an ita esset. Respondit ægrotus, Ita, uel potius càpite nutando præ infirmitate annuisse uidebatur. Filius perspecta infirmitate patris, qui nihil amplius curaret, aut sciret de rebus temporalibus quæ dicuntur, cognitaq; fraude atq; auaritia fratris, quæsiuit & ipse, pater, debeo fratrem per cunctos gradus deijcere? Respondit uel potius annuit pater, ita, hæc notentur.

De æſtiua aue Ioannis Lyphaimeñ.

Cum nuper diuerſos uolucrum cantus laudaremus, dixit unus ex conuiuis, ego nullius æſtiuæ uolucris cantum lubentius audio quàm ranæ, quæ calorem indicat, aërisq; temperiem ſine pruina. Interim Rana æſtiua auis dicitur Ioannis Lyphaimenſis. Quapropter ruſticis noſtris alpeſtribus eſt in prouerbio, ranarum cantum eſſe angelicum, alaudæ diabolicum: hæc cantat etiam frigore, illa tantum in calore.

De ſimplici puella.

Fuit Friburgi, ut mihi dicitur, matrona quædam, quæ in die palmarum puellam in primis ſimplicem miſit ad ædem ſacram ut oraret. Cui properanti in fanum, obuiam iuerunt homines cum ſaluatore ſuper aſino, uolentes ducere ad aliud fanum, ut moris eſt apud nos. Puella uiſa domino abeunte mox repetiuit domum: & quærente matrona, cur tam cito rediret, O domina inquit, quàm recto tempore ueni in templum, Chriſtus enim quàm primum intrarem aſcenſo aſino uoluit abire, quo abeunte ego redij.

Fabula de lancearijs.

Quidam lancearij in prælio occiſi, ut ſeruarent etiam militiæ decorem, cum rubro ſigno (quale pingitur Saluatoris & ſancti Georgij, quo Sueuorum ſigniferi olim ueteri priuilegio uſi ſunt) atq; in ordine deſcenderunt ad inferos. Dæmones uidentes ſignum

quo prius expugnata erãt inferna claustra, omnes portas obserauerunt obicibus, uectibus, repagulis omnia claudentes, timore nouæ expugnationis, seq; omnes ad prælium armauerunt. Lancearij accedentes *sub mortis interminatione, sunt minis atq; sagittis à portis repulsi.* Ad quos ianitor *infernus, declinate ad dexteram ô uiri, cœlosq; petite: nulla enim nobiscum uobis mansio dabitur.* Quibus *dum semita à ianitore monstrata esset, uenissentq; ad portas cœli, petentes intromitti: despiciens* Petrus, *atq; qui essent conspicatus.* Quis *uos, inquit, huc ire iußit? abite citius, uiri enim sanguinum estis: & quia in uita pacem nunquam amastis, indignũ est ut æternam quietem poßideatis.* Ad quod *unus illorum, ubi tandem maneamus? ait, dum prius etiam ab infernis sumus abacti.* Huic Petrus *dixit, audistis ne me? abite, aut depellemini: flagitiosi enim estis & blasphemi.* Ad quod *lancearius indignabundus & summo clamore ait, quid lupus uulpem de præda accusat? (ut est in prouerbio) nescis quid tu feceris? qui* Dominum *& præceptorem tuum falsò & perfidè ter denegasti, quod nemo nostrum unquam fecit.* Vnde Petrus *pudore perfusus, atq; timens ne cœlicolæ audirent, tacete, inquit, boni amici atq; ingredimini, nunquam post hac durus & difficilis ero peccatoribus.*

Alia fabula satis ociosa.

Alius quidam uenerat ad portas cœli non longo tempore post: & cum Petrus *præteritorum memor*

cum

cum admittere uellet dicebatq́;, ueni, & sedeas prope uxorem tuam. Respondit ille, *non per deum, si uxor mea esset intus, ego nunquã intrabo: in uita enim nunquam quietus fui cum ea, mortuus nunc & ociosus & crebrò cum ea habitans, quomodo pacem habere possem?* Atq; *sic abijt nescio quorsum.*

De Conrado Schott equite aurato.

In ea militia qua Fridericus *tertius ducem* Burgundiæ *Carolum propulsauit ab obsidione* Nußiæ *urbis, Conradus Schott eques auratus, siue prædæ siue conflictus auidus, è castris cum seruis suis profectus, hostes in certamen prouocabat.* Hostes *turmatim exeũtes summo studio illum sunt insecuti: quod nostri uidentes, atq; castra aliqui exeuntes, illi opem ferre conabantur, unde ex utraq; parte multi sunt desiderati. Cæsar audiens suos esse interfectos, fecit cõquiri authorem huius turbæ, quem extremo supplicio afficere constituebat.* Conradus *autem in Cæsaris conspectum uocatus atq; consistens, & quàm acerrimè correptus, inquit,* O *inuictissime imperator, ego pro me solo hunc conflictum inceptaui, quòd si aliqui sint interfecti ego doleo, sine tamẽ culpa mea id factum est: ego enim, ut dixi, pro me solo atq; cute mea fricanda hoc feci, neminem rogaui, neq; cuiquã mãdaui ut mihi auxilio esset, aut pro me pugnaret, unde absolutus est.* Hæc *à quodam nobili audiui.*

De ieiunio cuiusdam rustici.

Inter-

Interrogaui nuper quendam rusticum in uico Zwifaldensi, quot dies per Quadragesimam ieiunasset. Respondit, nullum nisi diem cinerum (ut uocant) ubi ex præterita die, carnispriuio scilicet, adeò saturatus esset, ut comedere nequiret.

Contra molitores.

Nobilis quidam me præsente dixit ad molitorem mihi notum, si ego tam multa bona dijs & aris sanctorum obtulissem, quanta tu es furatus, quis esset me inter omnes mortales sanctior? cogereris enim diem mortis meæ tenere, & festo & ieiunio sacrum. Sed parcant molitores: scribo enim alicubi fabellas & facetias, non semper rem ueram & gestam.

Contra eosdem.

Dicitur in prouerbio nostro, nihil esse audacius indusio molitoris: quoniam omni tempore matutino furem collo apprehendat.

De eisdem.

Ioannes Speth eques auratus dominus Zwifaldæ uici, quæsiuit alium nobilem, an non sciret probum molitorem quo opus haberet? Respondit alter promptè, scio profectò: nam hesterno uesperi molitoris mei uxor peperit infantem molitorem, de cuius probitate non dubito, de cæteris autem dubitare uidebatur. Sicuti quidam concionator egregius Iodocus Sueuus Heydelbergæ dixit, dum quæsitus esset, an & Princi-

pes seculi intrare possent regnum cœlorum: Possunt enim, inquit, si in cunis morerentur.

Prouerbium in parum prudentes.

Daiglinus cantor Constantiæ, cum nuper hominem parum prudentem conspexisset, dixit ad eum, tu esses ualde idoneus Consul. Illo causam sciscitante ait, nam collectam simul & absconditam habes prudentiam in thesauro aliquo, quoniam hactenus nunquam es usus. Quod ille indignatißimè accepit, qui scilicet sibi prudentißimus uidebatur.

Aliud in eosdem.

Quum uolumus designare insipientem, nos Sueui dicimus, optimum esset occultare sapientiam cum illo, nemo enim apud eum quæreret.

Dicteriũ in proditores & delatores.

Vidi nuper uiatorem (quem uulgus pedellum uocat) cuiusdam episcopi, quem cum alij à pedum uelocitate commendarent: subiunxit quidam, à lingua maximè commendandum, quoniam esset robustißima, & ex hoc, ait: nam tres simul potest sacerdotes sub ea deferre ad episcopum, uiginti millia passuum uno die, designans eum prodere episcopo sacerdotum crimina.

Contra indoctos curatores animarum.

Quàm grauis & periculosa sit cura pastoralis atq; animarum regimen, Gregorius & multi sancti patres suis

ſuis libris complexi ſunt: attamen nūc proh deûm atq; hominem fidem, conferuntur illa ſacerdotia atq; cura paſtoralis ſine delectu indoctißimis quibusq;, quòd miſerandum ſit illis animabus (eccleſiaſticorum more ut loquar) quarum curam hi indocti aſini ſuſceperunt, dē quibus cùm non ſit hîc locus multa loqui, dicam ſaltem quod ego ſcio. Veni nuper in quoddam monaſterium multis indulgentijs (ut cum uulgo loquar) & apoſtolicis prærogatiuis dotatum, ut prædicant: quòd ſi ita eſt, deprauantur tamen ſacerdotum ignorantia. Conuenit enim ibi me bonus amicus, qui confeſſus erat ſacerdoti illic præſidenti, narrauitq; mihi dum integram confeßionem facere inſtituiſſet, interruptam fuiſſe à ſacerdote, qui diceret ut tantum capitalia, hoc eſt, mortalia peccata confiteretur, tantam eſſe indulgentiam, ut uenialia, quæ uocantur peccata ſine confeßione deleret. Poſtremò oſtendit mihi litteras ſuas confeßionem teſtificantes, in quibus multos ſolœciſmos inueniebamus. Ad quod ego tanta eſt, dixi, ædis indulgentia, ut etiam incongruum congruum faciat. Ad hoc alter reſpondens, mirum eſt (inquit) profectò, nunquam enim ego antea audiui extendi illa priuilegia in præiudicium & læſionem Priſciani. Cui ego aiebam, extendi illa etiam ultra Pontificis, cuius reſcripta per incongritatem uincentur.

De illo qui non libenter diuinos ſermones audiebat.

Quum nuper in fanum properarem, pro concione doctoris nostri Martini audienda, obuiam uenit mihi exeundo quidam sodalis: quem cùm mecum ad concionem retrahere conarer, repugnauit dicens, se non libenter audire hominibus detrahere & maledicere, quod crebro in istis sermonibus fieret.

Facetum dictum.

Cum olim mihi sacerdotum notum quidam mulierosum criminaretur: subiunxit alius eidem sacerdoti infestus, Bonus es homo, qui gratis & tua sponte dicis hominibus ueritatem, dum multi non nisi coacti, uel in iudicio, uel quæstione faciant, aliiq; precio conducantur, quod in prouerbium cessit.

De maledico sacerdote.

Noui sacerdotem qui omnibus hominibus detrectabat, quiq; linguam suam in omnium contumeliam acuminabat: quem cum ego sæpe castigarem ne id faceret, respondere solebat, obtrecto hominibus, fateor, sed hoc itidem mihi contigit, inde ego pro compensatione ago.

Fabula quare Christus passus sit.

Dixit mihi olim Abbas, & dominus noster Zwifaldensis pro mensaria recreatione talem fabulam. Sancta trinitas cum liberasset secum pro redemptione humani generis, patrem dixisse se modò senio confectum, non idoneum ad mittendum in terras pro redimendis mortalibus, Spiritum item sanctum causatum esse

formam & speciem: ridiculum enim esse in forma columbæ pendêre in cruce, qui redempturus esset genus humanum. Christum postremò filium dixisse, sibi perspectum hinc esse hanc fabam (ut in prouerbio dici solet) in se cudi, atq; hoc omne in se machinatum: itaq; obtemperasse suis, & crucem sponte subijsse.

Facetum dictum Petri Luder.

Petrus Luder cum olim Basileæ medicinam & studia humanitatis profiteretur, essetq; semel inuitatus à quodam theologo ad prandium, atq; inter uina (ubi hilariores liberioresq; in loquendo reddimur) quædã ioci gratia de trinitate contra theologorum dogmata effudisset. Protestatus est theologus iniuriam theologis, & fidei potius christianæ factam. Ad quod Petrus retractans iocũ & errorem, sis bono animo, ait, domine doctor, nihil enim temere aut pertinaciter affirmo: nã priusquã ignem subirẽ, ego crederem quaternitatem.

De quodam asinum emente.

Debebat quidam seruus domino egregium caballum emisse, atq; cùm asinum emisset, dominusq; ægerrime ferret, dixit, profectò si pro aurium qualitate & magnitudine crescet, futurus est maximus & procerus ualde equus.

De eo qui malebat uinum uetus quàm recens bibere.

Est mihi sodalis, cui cum uinum recens & minus nobile

nobile simul cum ueteri satis sapido appositū esset, eiq; recens propinaretur: dixit repugnando, uenerandos esse senes & maiores, seq; ueterius obseruare uelle.

Pulchrum dictum Friderici III. Cæsaris.

Fridericus tertius Cæsar augustus cū Romam profecturus Florentiā transiret, uideretq; Cosmi à Medicis florentißimas opes, qui aliquando pauperrimus fuisse perhibebatur, dixisse fertur, O quàm multa cōuitia & cōtumeliosa uerba pertulit, surdaq; aure trāsiuit, donec ita locupletatus fuerit. Optime iudicans omnes illos, qui præter consuetā fœlicitatē aliorū, ex paupertate uel ex humili loco stirpeq; emergūt, multorum odijs, uarijs opinionibus atq; cōuitijs exponi: cū ex traditione Cor. Taciti lib. 17. insitū sit mortalibus natura recentem aliorū fœlicitatem ægris oculis introspicere.

Ridendū sacerdotis cuiusdā dictū.

Noui sacerdotē, qui anno salutis nostræ 1505. cum de Christo recens nato concionaretur, tandem detestatus molliciem atq; indulgentiam rusticorum erga liberos, dixit: Vos liberos uestros molliter delicatißimisq; cibis & linteis fouetis, Ioseph autem saluatorem mundi Christum puerum inconditè & auenario pulmento uutritum, in præsepe boum reposuit.

De patientia monachorum.

Cum quidam fratrum mendicantium rusticum ui-

diſſet: qui ſatis impie & inclementer cæderet aſinum maximo onere grauatum, dixit ad eũ, cur tam duriter cædis miſeram beſtiam? Cui ruſticus, quid ad te, inquit, non eſt adeò onuſtus quin patientiam totam ordinis tui ſimul portaret. Cur id quæſiuit cum murmure monachus? quia, inquit, ruſticus, ſub tanto faſce non murmurat, & tu in unico uerbo impatientiam oſtendiſti.

De quodam aduocato.

Quidã aduocatus, poſt multas cauſas in quibus uictor euaſit, monachus factus eſt. Et cũ in negocijs monaſterij præpoſitus, multis in cauſis ſuccubuiſſet, interrogatus eſt ab Abbate, cur omnino in cauſis agendis mutatus eſſet? Reſpondit ille, non audeo mentiri ut antè, ideo amitto cauſas.

De diſpenſatione.

Albertus Magnus Sueuus omniũ rectè philoſophãtium princeps, cuidam canonico, Coloniam Agrippinã cũ diſpenſatione à curia cũ pluribus beneficijs redeũte, dixit: Potuiſti prius ire ad inferos ſine licentia, nũc ibis illuc cum diſpenſatione, ut utar uerbis illius qui ad me ſcripſit.

De muliere Tubingenſi.

Quædam mulier contulit donum aliquod fratribus Auguſtini ordinis in Tubinga, & cum ſe orationibus eorum apud Priorem quem uocant commendaſſet, abiuit, & breui rediens dixit, O pater bone, non orate pro

uiro meo, precor ne rescifcat, quia clàm donaui. Credidit enim, si in salutem uiri ceßisset, eum resciſſurum.

Facetum dictum in loquaces.

Ego, cum nuper quidam papyropola plus æquo loquax eſſet, dixi, os illius hominis et lingua ſummo gaudio affici deberent quando dormitum iret. Quæſiuerunt aſtantes cauſam: reſpõdi, ut à laboré quieſcerent. Subiunxit alius, ſi tantum robur in manibus haberet, quantum in ore & lingua, nullo labore frangeretur.

Contra eoſdem.

Eſt & prouerbiũ in loquaces, ut dicũt noſtri, uerba mille, uel duo, aut quatuor millia, non ſunt colligata in illũ hominem: deſignantes multiloquiũ, nã ſi colligata eſſent cohærerent corpori, neq; tã affluenter exciderẽt ore. In eoſdẽ & aliud quoddã dici conſuetũ eſt, Ille eſt homo facilis: nã nõ eſt opus ut interrogetur, dũ ſcilicet per ſeipſum plus quã deceat loquatur. Inde quã rectiſſimè in eũ prouerbio dicitur, ſinas te ſemel interrogare? ne ſcilicet ſemp ſine ulla intermißione loqueretur.

Sacerdotis cuiuſdam & ruſticorum factum impudentiſſimum.

Puderet me profectò prodere tot ſacerdotum ineptias, niſi ipſos non puderet talia facere. Noui ſacerdotem, qui cum nocturna quadam commeſſatione cum ruſticis potaſſet: conuenerunt, ut eductis uirilibus quicunq; in ea ſuppellectile magis inſtructus eſſet,

uniuersum symbolum solueret, atq; sacerdos primas obtinuit. Hoc publicè *apud me & alios inter laudes suas iactauit, sibiq; postea apud mulieres multum profuisse gloriatus est: ab episcopo tamen decem aureis mulctatus est.*

Facetum in Polonos dicterium.

Quum in Sarmatia essem, audiui esse prouerbium inter Germanos qui ibidem morabantur, Polonus fur est, Prutenus proditor domini, Boëmus hæreticus, & Sueuus loquax. Quod cum olim inter nostros recitassem, subiunxit quidam, tanta religione teneri Polonos, ut saniori conscientia furarentur equum dominica die, quàm quòd die ueneris lac uel butyrum comederent. Ad hæc alius paulò festiuius subiecit, tam religiosus est, ut priusquam abesset à templis deorum, intempestiua nocte per fenestras intraret, designans furtum eorum. Nolim *tamen seriò quicquam inhonestius de illa natione dicere, Christiana sane & proba.*

Dictum lepidum in eos qui plurimis rebus intenti sunt.

Cum quidam de curru quondam excidisset, ac fortuitò magno uulnere caput fractum esset, imperitus enim erat huius rei: tum fortè astans quispiam, dixit, qui pluribus intentus minus ad singula aptus erit. Proinde *& prouerbio illo utimur in eos, qui se ostentare uolunt quibuslibet in rebus, cum sint minus idonei, nec*

unam

unam artem aut alteram probè didicerint: Ille semel lancea transiuit uestibulum illius artis uel rei.

De senatore Tubingensi.

Cum senatus Tubingensis ante aliquod annos sententiam ferre uellet, & iam suffragia darentur: exiuit unus senatorum ex conuentu dicens, ego fero sententiam quam laturus est præfectus syluarum (ita enim uocabatur unus qui summa autoritate apud eos pollebat) uado etenim mictum. Propter quod exactus erat à senatu, & perpetuo prouerbio commendatus.

FACETIARVM BEBELIANARVM Liber Secundus.

De Iurisconsultis Philesius.

Iurisconsulto suæ professionis homines faciles & beneuolos esse contendenti, responsum fuit, Leguleios esse homines perinde ac lingulam in bilibri, quæ ad illam lancem in qua maius fuerit pondus declinat: non secus aduocatos, procuratores & rabulas forense genus, causas illorum plerunq; procliuiter amplecti & fouere, qui opibus sunt suffarcinati, eos non curantes, quorumres angusta domi est.

De principe contra sua decreta deierante.

Cum in senatu cuiusdam oppiduli, absente principe decretum esset, ut qui amplius in opprobrium Dei maliciosè iuraret, puniretur: & principi reuerso ea res aperiretur, prorupit ille, ut erat insolens et furiosus, per carnē dei (uti nostris mos est iurandi) sibi placere. Cūq; senatores & decuriones sese mutuò inspiciētes subriderent, ille per cor & corpus dei cōfirmauit, se plecturū si quē deierantē posthac compertū fuisset, non cōsiderans se facere iam & frequenter quod suis prohiberet.

De uino iudaico & baptisato.

Intraui nuper cauponam quandam, uno comite: & cum uinum dilutius & aquatius, ut uocant, nobis appositum esset, alloquitur comes meus cauponem, ægrè se ferre Christum unquam hanc artem prodidisse, ut ex aqua uinum fieret, hanc enim iam paßim omnes uinarios didicisse: seq; malle uinum iudaicum quàm baptisatum bibere, illius autem uinum ita baptisatum esse, ut nisi natare sciret, demergeretur in aqua.

Fabula de mulierum astutijs.

Tres erant mulieres quæ conuenerant, ut quæ uirum suum magis infatuaret, grandem pecuniam lucraretur. Prima, cum uir semel dormiret, fecit eum radi, cucullóq; ad hoc comparato uestiuit: cumq; ille euigilasset, mulier dominum eum & patrem appel-

lando, an non cum confratribus suis abire uellet, quæsiuit, pagum enim suum paulo antè cuiusdam monasterij fratres uehiculo transiuerant. Vir primò indignanter uxorem alloquitur, an ipsum ludibrio haberet. Illa non profectò, inquit, domine pater, absit à me tantum facinus, sed fratres uestri abierunt. Ille rasuram aduertens atq; uestem, sumne ego Conlinus (ita enim uocabatur) an non? Vxore uocitante eum dominũ, atq; perseuerante in ea appellatione rusticus tandem consensit, atq; quorsum sui abijssent quæsiuit. Quos cum ex uxoris relatione illo die non consequi posset: illa induxit eum, ut apud se manendo, cras diuina celebraret. Qui cum accessisset altare, incompositum quendam cantũ & rusticanum incœptabat. Altera mulier suum induxit, ut nudus omnino ad altare cum oblatione accederet, pro nouo sacerdotio uicini, cũ crederet se ex uerbis uxoris uestitũ. Tertia uerò cum marito suo persuaserit, ipsum mortuum esse, pharetro impositum in templum detulit. Qui cum se erexisset, uicinumq; unum sacrificantem atq; monachum agentem, & alterum nudum illi offerentem uideret, profectò nisi mortuus essem, inquit, has uicinorum meorũ ineptias effuse riderem. Quæritur nunc penes quam mulierum uictoria sit.

De rustico inepto.

Quidam rusticus, cum puerum suum in die Gregorij (ut mos est nostris) manè ludo literario mancipasset, atq; puer à schola rediens ad solitos iocos & lusus

æqualium recurreret: reuocauit eum pater à colluso- [illegible], abi fili à laicis, oppidò enim infesti sunt [illegible],cum ad unam tantum horam in schola fuisset.

De unoculo.

Quidam unoculus, cum duxisset puellam deuirginatam, quam ipse uirginem credebat, acerrime ei exprobrabat læsam pudicitiam. Ad quod illa, cur tibi integra esse deberem, quum tu sis luscus, careasq; altero oculo? Hoc damnũ, inquit, uir, ab hostibus atq; inimicis accepi. At ego meum ab amicis respondit puella.

Nugæ cuiusdam fabri clauicularij Cantharapolitani.

Is adhuc ephebiam agens, dum quodam brumalis temporis die unà cum cæteris equitibus equitaret, ob maximum frigus & gelu ephippio quo insiderat concretus, ab eodem desilire non poterat, sed cũ ephippio post fornacẽ donec calore dissolueretur reponebatur.

Eiusdem factum perquàm iocosum.

Inde idẽ cũ ad flumen quoddã gelu concretũ peruenisset, per quod equitandũ sibi fuerat, hostibus insequẽtibus, & nemo ex suis socijs primus conglaciatũ flumẽ tentare uoluit: quare is attentando rupta glacie in flumen cũ equo decidit, ac in fluminis fundo diu errauit, tandẽ hasta quã gestauerat glaciem perfoderat, & ita cũ equo exiuit. Multa alia nõ facilia creditu narrauit, unde à multis faber mendaciorum nõ clauium dicitur.

De

De Sacerdote fœneratore.

Noui ſacerdotem, qui præter ſacerdotia eccleſiaſtica, quæ aliqua ſimoniaca prauitate acquiſierat, etiam pro ſexto quoq; ouo ruſticis gallinas locauit, uarijſq; artibus & fœnore magnas diuitias comparauit. Tandem uergens in ſenium, cœpit etiam cogitare de ſalute animæ: beneficia quæ uocantur, item ſacella, officiumq; concionatoris in quodam oppidulo de nouo erexit atq; fundauit (ut ita loquar) Quod cum in cœtu hominum aliquando audiſſemus, ſubiunxit quidam ex noſtris, perſimilem illum eſſe calceario cuidam, quem calcearium dei dixerunt: qui corium furabatur, & calceos propter deum dederat. Quid enim prodeſt ex ſanguine pauperum deo facere ſacrificium? qui magis uult miſericordiam, atq; obedientiam et præceptorum ſuorum obſeruationem, quàm uictimam, præſertim ex rapina & pauperum ſanguine conflatam.

De Sacerdote rixoſo iocus multum iucundus.

Vidi alium qui dicere ſolebat, nulla in re ſe maius lucrum accipere quàm uerberando cum ruſticis: ſemper enim pro uno uulnere quod ruſticis inferat ſeſe duo uel tria accipere.

Eiuſdem iocoſum dictum.

Idem me præſente in Zwifalda dixit iocando, coitum non eſſe mortale peccatum, quia uiui facerent: nec

item capitale, quoniam circa inferiora committere-tur: nec postremo diurnale peccatum (ut nostri dicunt) hoc est ueniale, quoniam nocte frequentius fieret.

De quodam uiatore.

Erat in Geißlinga oppidulo quidam uiator, cui cũ quædã honesta matrona pro uino illo passo, quod Creticum uocant, urinam suam apposuisset, illeq; eam pitizasset, intellecta fraude, dixit, hoc uinum sapit naturam uasis: hoc est, quale uas tale & uinum.

De errore cuiusdam Medici.

Medici uocant electuarium diasatyrionis, quod prouocat libidinem, quod cum diues uetulus, nouam sponsam ducens, apud medicum procurasset: petiuit è contra iuuenis quidam febricitans, medicinam laxatiuam. Postquam autem medicus confecerat, fortè permutauit ea, ita ut iuueni diasatyrion, seni laxatiua daretur. Ille tota nocte cruciabatur erectione uirgæ sine laxatione, ægreq; ferebat id operari medicinam, quod non peteret. Hic uerò cum iam in amplexu teneret sponsam amantißimam, & ad prælium uenereum contenderet, totum lectum cum sponsa permerdauit, atq; uxorem potentia quà maximè ualent senes imbuit, exhilarauitq; prima nocte.

De imperio mulierum in uiros.

Circumferebat quidam per uniuersum orbem calceos, quos ocreas uocamus, offerens illi uiro, qui uxo-

rem suam non timeret, Et quum diu neminem inueniret, qui acceptare uellet: tandem rusticanus quidam homo & incompositus accepit. Cui dixit ille, accipe & exungiam in sinum, ut linas eas. Sed quia nouo indusio & candido indutus erat rusticus, non audeo, inquit, uxor etenim quòd indusium denigrarem argueret. Tunc ille ocreas recipiens, illisq; eum percutiens, abi, dixit, in malam crucem, quoniam in re leuißima uxorem times, meq; defraudare studuisti. Atq; mox abiens, non credo quòd adhuc alicui iure donauerit.

De quodam pulcherrimo uindictæ genere.

Erat qui adeò dilectam habebat uxorẽ, uti diceret, se uiuum non posse uidere, ut ab altero tractaretur. Pòst pauco tempore, cum faceret iter illa comite per syluam, coactus est ab equite quodam, ut traderet ei uxorem cognoscendam, ipseq; equum cum uestibus custodiret. Mulier ab equite rediens, increpauit uirum, qui uidere potuerit se ab alio amari. Tum ille, tace (inquit) nam & ego clã tunicã eius in partes discidi. Sicq; hanc uindictam cum uxoris pudicitia compensauit.

De zelotypo quodam.

Quidam fatuus, quum pulchrã & elegantem uirginem duxisset, et semel ad aliquot diens absens, noctu rediret (pro eo quòd uxoris pudicitiam suspectam habebat) uolens experiri eius animum, inuenit ante

ſcalas cubiculi maritalis calceos duos, unde non obſcurè intellexit adulterum adeſſe. Quare maturius & conſultò rem agendam eſſe exiſtimans, abiuit continuò donec in craſtinum referret ad ſapientes, quomodo ſcelus hoc ulſciſcendum iudicarent, Poſtero die, conueniens amicos, remq; ſuam cum illis communicans, ſe expertum eſſe ait, homines ex ira omnino ſui obliuiſci, neq; mentis compotes eſſe: parum enim abfuiſſe, quin indignitate rei motus et ira, calceos adulteri in fruſtra mille diſcidiſſet, furorem tamen ſuum ratione ſedatum eſſe, donec de merita uindicta deliberet.

De domino Huldricho comite Wirtenbergenſi.

Illuſtris comes Huldrichus, *cum ſemel ad ſacerdotem & ſacellanum dixiſſet, ut haberet miſſam, (ut ita dicam) uenatoriam, hoc eſt, cito ſe abſolueret, uti uenatores deſiderant. Sacellanus in toto libro quæſiuit miſſam de uenatoribus; & cũ nõ inueniret, mœſtus redijt ad principem, nihil ſe de miſſa uenatorũ inuenire conqueſtus: cuius ſimplicitatẽ hilari uultu emendauit.*

De auaritia atq; ambitione mortaliũ.

Cum nuper quidam acriter inueheretur in beneficioſos ſacerdotes, dixit alius, non ſatis eſſe Chriſtianis ſacerdotum, Iudæorum, & nobilium: quoniam (aiebat) ſi ſatis Iudæorum haberemus, Chriſtiani uſuram non caperent: ſi ſacerdotum, unus non haberet

plura

plura beneficia: si nobilium, non indies tot rustici & ciues aspirarent ad nobilitatem.

Histrionis cuiusdam iocus.

Quum histrioni cuidam cum nobilibus discumbentibus, minutiores pisces appositi essent, illis aũt grãdiores, cœpit histrio pisciculos multos contrectare, atq; nunc ad os, nunc ad aures admouere: quædam secretò loquens, cœpit & tandem flere. Et cum nobiles cur id faceret, interrogarent, dixit, pater meus piscator olim in aqua summersus est, & cum quæro pisciculos, an non uspiam uiderint genitorem meum, respondent se esse iuniores ut hanc rem sciant: proinde interrogandos esse grandiores natu. Hoc cum intelligerent nobiles, dederunt ei grandiores pisces etiam inquirendos, uel potius deuorandos. Hanc fabulam Hein. Bebelius pater meus quondam narrauit: qui mortem oppetijt anno domini 1508. cuius anima acquiescat in pace.

De Matthia fatuo Abbatis Marchtelli cis Danubium.

Cum Abbas Marchtelli monasterij, quoddã magnificum palatium ædificare uellet, atq; quomodo institueret cũ suis anxiè deliberaret: progressus est in mediũ fatuus eius Matthias, dicens, O quàm stultus es Abbas, quòd te tam multis negotijs implicas: sedeas in cubiculũ tuũ et cœnaculũ tuũ, (quod & Hypocaustũ uocant) unà cũ meretrice pingui, ac seruias deo in quiete;

Eiusdem

Eiusdem dictum ridiculum.

Idem quum pedibus Danubium transisset, quàm malè feci, inquit: si enim submersus fuissem, dominus meus non remisisset mihi, sed me uerberasset.

Eiusdem dictum satis ineptum.

Cum in æstate semel idem calidißimo sole ligna in monasterium baiulare cogeretur, solem detestatus, dixit, dij te perdant, quàm multum feruefacis, (intelligens calefacere perinde ut uaporaria calefiunt) serua hunc calorem usq; in hyemem.

Eiusdem ridiculum factum.

Idem quum semel in dedicationem Zwifaldensis ecclesiæ cum domino inuitatus esset, ab Ioanne Speth equite aurato, cogereturq; cum duobus alijs fatuis comedere, properè abijt atq; castrum reliquit, domum repetiturus postridie. Interrogatus deinde, cur tam citò abijsset, ait, si mihi mel syncerum, uel lac cum tenerrimo pane datum esset (quos ipse optimos cibos iudicauit) in promptu ego non mansissem, tam mucosæ erant nares fatuorum. Indignatus quòd ipse, qui se prudentem existimabat, fatuis consociaretur.

Bauari cuiusdam dictum ridiculũ.

Duo Bauari profisciscebantur Romam, & cum in quadam caupona diuertissent atq; oua comedissent, postquàm ad solitum iter uenissent, unus ad alterum dixit, subdolus admodum cauponem decepi. Ac iussus manifestare,

manifestare, ait, comedi in ouo integrum pullum gallinæ & non solui.

De pœnitentia lupi, uulpis & asini.

Properarunt olim Romã simul lupus, & uulpes & asinus, pro indulgentia (ut ita dicam) cõsequenda: atq; in itinere dũ lupus dixisset, Pontificem multis alijs negotijs districtum esse, conuenerunt, ut sibi inuicem confiterentur, atq; pœnitentiam iniungerent, Proinde lupus primum sic uulpi confessus est, uidisse se suem, quæ duodecim suculos habebat, & cum ipsa pinguis in cãpo deambularet, suculi eius domi fame conficerentur: propterea matrem deuorasse ob impietatẽ, quod prolem ita derelinqueret, tandem miseratione commotũ, filios omnes etiã, ut ex miseria eriperet, enecasse atq; deuorasse. Hoc flens narrauit, atq; pœnitentiam iniũgi sibi petiuit. Vulpes autem dixit, non commisisti grande peccatum, commiseratio est pupillorum, ora semel dominicam orationem, & sis absolutus. Et mox illa lupo cõfitetur ita, Rusticus habebat gallũ, qui uicinos quosq; gallos depellebat, uictoriosus, cuius clamor circũquaq; perturbabat sanos & ægros, ac maxime capite dolentes: huius superbia me male habuit, forte igitur semel cum uxoribus spaciantem arripui, & abducens manducaui, atqui semper postea contra me clamauerunt uxores eius mihi infestæ, quarũ multas uindicãdo iniuriam & clamorem, etiam dilaniaui, atq; comedi. Peccaui fateor, peto igitur ueniam, Ad hoc lupus ait, bene

actum

actum est, dum clamor & superbia galli & gallinarum comminuta est, nec multum peccasti. Iniungo itaq; tibi, ut ad tres dies ueneris non comedas carnes, si non habere potueris: uolo enim perinde facilis & credulus esse tibi, uti tu mihi. Nunc asine confiteare & tu. Asinus ad hoc, quid confitear aiebat, uos scitis labores meos & tormenta, quæ tolerare cogor, portando frumenta, saccos, ligna & aquis, in uno tamen peccaui, cuius me sæpe pœnituit. Seruus mihi præpositus erat, cui frigenti ex calceis stramen apparuit, quod ei eripui: unde magnum damnum in pedibus accepit. Estote igitur mihi misericordes, & iniungite pœnitentiam, Dixerunt uerò illi: ô latro quid fecisti, uæ tibi in æternum. Nam te autore seruus ille grande damnum in pedibus sensit, & ut credimus ex hoc mortuus: unde anima tua damnata est: & propterea nec corpus tuum saluum esse debet, atq; necantes deuorauerunt eum. Sic equidem faciunt potentes & maiores, qui sibi inuicem & facile & leuiter ignoscunt: subditis autem ac infirmioribus, duri & inexorabiles sunt, ut bene nouit Iuuenalis in satyra secunda.

Dat ueniam coruis, uexat censura columbas:

Atq; huius fabulæ autor, Hugo scilicet Trimpergius egregius in uernacula lingua poëta, sic interpretatur: Vulpe designari cellarios, & hos qui sunt ab officijs monasteriorum constituti, qui contra Abbatem nihil agunt, lupo uerò Abbatem, & asino significari

simplices

ri simplices fratres, qui in minimis maximè peccant, dum modo superiores sibi inuicem quàm indulgentissimè ignoscant.

Iocus de sacerdote Conrado Schellenberger.

Noui sacerdotem, qui cum alijs quibusdam sacerdotibus iturus ad cuiusdam templi dedicationem, noua linea tunica induebatur, gloriosus sibi: quapropter ab alijs sacerdotibus in Danubium erat deiectus, ut tunicam ei decolorarent. Et cum tandem ægrè extractus esset, per deum, inquit seriò, & commotus, si ego me melius animo collegissem, mansissem in aqua suffocatus: propterea quòd uos omnes irregulares (ut ita dicā) essetis, atq; in paupertate dies uestros cōterere cogeremini. Ecce quàm egregiam uindictā ille cogitauit.

De quodam tribuno plebis.

Quidam Tribunus ex Buchorn oppidulo inprimis paruo, attamen imperiali & libero, cum semel Constantiam uenisset, ad sodalitatem laniorum, humilitate eius contempta, ad infimam mensam est collocatus: hoc ille ægrè ferens, continenter principem & tribunum laniorum arridebat, Quare tribunus curiæ illius iußit quærere, cur se externus iste ita arrideret. Respondit hic, quòd te tui eo honore summo scilicet tractent, quo me mei apud nos: sum enim apud meos etiam plebeius magister, licet indignus. Ad quod Constantiensis,

stantiensis, si talis es uir, inquit, profectò non decet ut in infimo sedeas, atq; ad se collocauit. Hoc ego propter illos dico, qui dummodo in minimo magistratu, nihilominus nolunt latere homines suam dignitatem & maiestatem, etiamsi se risui exponere debent, adeò nequeunt occultari honores.

De quodam consule.

Erat Rotenburgi cis Necharum consul Hechingensis in quodam simposio, & cum nemo uellet eum alloqui iustis titulis, ut ipsi uidebatur (sutor enim erat, nec morum, nec corporis maiestate uenerabilis, itemq; parui oppiduli ciuis) tandem ipse se prodere tentauit, dicens, cum ei optimum uinum appositum esset, tale ego uinum habebam, dū nuper creabar consul Hechingæ. Paulo pòst quum ex largitate uini cum suis municipibus inconditiores clamores ederet, corripiebatur à lusore aßidente, ut istum rusticum clamorem missum faceret. Quòd cum indignißime acciperet, cœpit iurgari cum lusore, non oportere se contemptum iri ab eo. Tum dixit lusor, quis tandem es tu? Respondit ille consulem ago in Hechinga. Ad hoc lusor, ha ha he, es pròfectò magister parum prudens & moratus, ut si dixeris magister porcorum, nemo non credat.

Alius cuiusdam consulis dictum satis ridiculum.

Erat alius Consul parui oppiduli & castelli, quē cū in balneo

in balneo lotrix interrogasset, an esset lotus capite? Respondit, nescio profectò: aliquis enim nostrũ alia habet cogitare, Putauit enim se esse hominẽ in magistratu positũ, cuius cogitationes intenderentur ad negocia reipub. quæ in oppidulo illo sunt minima atq; rarißima.

De alio consule.

Fuit & alius cuiusdã parui oppiduli consul, in quo uix quinquaginta domus continentur, qui cum Eßlingæ lintea uenderet, atq; emptor quæreret ubi ipse habitaret, ut plura ab eo emeret: nominauit ille oppidum & castellũ suum, dicens, postquam ingressus fueris urbẽ nostrã, atq; diu processeris, interroga ubi sit domus consulis, & ostendent tibi altißimam domum, ibi me inuenies. Nominauit ille altißimam domum, cum potius tugurium & casam pastoralem dicere debuisset.

De rustico carnis resurrectionem non credente.

Confitebatur cuidam sacerdoti rusticus, qui cũ carnis resurrectionem poßibilem negaret, uenit in magnã contentionem cum sacerdote. Tandem cũ sub æternæ fælicitatis amißione credere induceretur, dixit, si cogar credere credã: sed uidebis, pater reuerende, nihil futurũ de ea resurrectione quã dictitas & præsentas.

De sacerdote Italico.

Conueni sacerdotem quendam Italicũ in Oeniponte, qui erat cum exulibus Mediolanensibus, & cœpi

percõtari de nouis rebus Italiæ. Ille auerso uultu stans, ait, non intelligo, non sum sacerdos ad grammaticam. Tum ego, ad quid es sacerdos? dixi Respondit ad tria missa. Et ego in eodem genere quæsiui, ad qualia? Respondit, de beata uirgine, spiritu sancto, & pro defunctis. Vade ergo in pace cum tua tria missa, dixi.

De simplici rustico.

Confitebatur quidam rusticus, & quæsitus de trinitate, nihil omnino de ea nec sensit nec sciuit. Sacerdos tandem post longam doctrinam, qua eum in fide firmauit, talem comparationem dederat. Fac te esse patrem deum, & filium tuum fac esse deum filiũ, & uxorem spiritum sanctum. In secunda exinde confeßione interrogatus rusticus, an nunc in trinitatem crederet? Respondit, non omnino: in duos enim primos deos credo, in spiritum sanctum autem non, quia quicquid pater & filius durißimis laboribus lucrantur, hoc totum spiritus sanctus consumit, uxorem suam designans, quæ obliguriret, quicquid ipsi laborando acquirerent.

De sacerdote & scholastico.

Aluit sacerdos scholasticum mendicum, ut in extrema ieiunij hebdomada in canticis diuinis sibi auxilio esset. Quòd cum scholasticus pannositatem atq; turpitudinem uestitus causaretur, induit eum noua tunica. Et cum in matutinis Christianæ resurrectionis sacerdos in spem Mariarum (ut moris est) dominũ in sepulchro

quærere

quærere uellet, iußit scholasticum in sepulchrũ intrare, ut loco angeli responderet, Quare scholasticus adepta noua tunica, atq; in tenebris abeundi opportunitatem nactus, aufugit. Sacerdos autem ratus illum adesse, accesßit sepulchrum cantu solito: & cum nemo responderet, quo abduxit illum diabolus: dixit, Vnde omnibus risum commouit, quia putabant eum loqui de Christo, cum de scholastico loqueretur.

De quodam nobilitatem uanè sibi arrogantem.

Venit quidam pannosus & deformis homo in cauponam, & cum ab omnibus negligeretur, cœpit tandem iactare suam nobilitatem familiamq́; uetustißimam, compotatoresq́; esse homines rudes & barbaros, qui eum non debita reuerentia prosequerentur. Et cum iugiter in commendanda nobilitate sua perstreperet: cœpit alius (cui fastidio tandem erat gloriosi illius iactantia) dicere, Abi precor cum tua nobilitate: nam equidẽ asinus molitoris nostri multo te est nobilior, is enim seruo comite ingreditur, tu autem sine seruis.

De ebrio.

Erat quidam usq; adeo uino madibus, ut manibus hominum in domicilium suum portaretur: & cum semel baiuli, ut anhelitum caperent, illum in pedes sisterent, isq́; uideret alium perinde ebrium ut à consodalibus duceretur, cœpit exclamare. Videte precor com-

bibones, quàm ebrius est ille ut ducatur: non conside- rans quòd ipse portaretur, ingrediendi omnino impos.

De puella.

Seruierat puella cuidã matronæ, quæ sæpißimè ul- tra mediã noctem cũ procis suis sederat: & cũ argue- retur à domina, quod tam longam morã uigilaret re- spondit, nõ uideri sibi longũ, sed breuißimum tempus, illis uerò longum esse, qui uigilando eam obseruarent.

De sacerdote & ædituo.

Conuenerunt sacerdos & æditus certa pecunia, ut die festo & solenni quarumcumq; mulierum corporis copiam sacerdos aliquando habuisset, oblationes illa- rum æditus acciperet. Et cum aliqua illarum accesse- rat altare, dixit sacerdos, accipe: intellige oblationem. Tandem cum post multas accesßisset & æditui uxor, item dixit sacerdos, accipe. Æditus uerò obstupescẽs, dixit, est uxor mea. Cui sacerdos, accipe bone frater, non enim te conuenta re defraudabo. Ita contingit illis derisoribus, ut sæpe aliorum risui exponantur.

De rustico S. Nicolaum inuocante.

Rusticus quidam cum in uia lutosum plaustrũ one- rarium ita demersisset, ut equis educere non posset, cõ- uersus ad diuorum opem, auxilium sancti Nicolai in- uocauit, seq; pro pondere plaustri ceram in eius hono- re pẽsare uouet. Admonitus ab altero, plaustrum cum equis uilius constare quàm tantũ ceræ: dixit, tace, nam

si ipse mihi subuenisset, minus de cera fieret. Ita omnes facimus in periculis, pollicitando, & multa sanctis uouendo sumus effusi, in exequendo parci & tardi.

De quodam suspendendo.

Cum fur quidam ad patibulum duceretur, sacerdosq; ei pro confirmatione & consolatione adiunctus (ut moris est) æternam illi felicitatem, si ultrò mortem pro emendatione peccatorum suorum subiret, polliceretur, eumq; apud superos cœnaturum affirmaret: conuersus fur ad sacerdotem, dixit, Ist es also lieber Herr / so bit ich jr wöllen für mich das nachtmal essen / ich will eüch zwen plaphart an dem mal schencken.

De Bauaro lentes comedente.

Venit Bauarus quidam in cauponam, et cum ei lentes appositæ essent, auidißimè comedit, adeò ut noctu in lectum cacaret. Manè reprehensus à caupone, dixit, O caupo quid mihi apposuisti? Ille respondit, lentes, quæ teutonicè uocantur Linsen. Ad hoc Bauarus: Ich halt warlich es sind wol linsen gewesen / sie sind wol also leiß von mir geschlichē.

De molitoribus.

Mathias morio Vlmensis, de quo antea etiam dixi, cum uidisset quosdam molitores, iocatus in eos, molitores comparauit beatæ uirgini Mariæ, ob hoc quòd ipsi gauderent albo & candido uestitu, qui color

castitati (in cuius arce stat mater illa diuina) attribueretur. Hoc cum ipsi iucunde accepissent, attentiusq; animaduerterent, secundò ita comparauit illos eidem, Vt enim beata Maria ante partum, in partu, & post partum esset mansissetq; uirgo: sic molitores ante molam, in mola, & post molam esse fures. Quod illi adeò ægrè acceperunt, ut fuga salutem quærere cogeretur.

De sacerdote puerum baptisante.

Sacerdos baptisaturus puerum, cũ diceret quòd cõpater nominaret puerũ, dixit ille, esse puellam. Sacerdote rursus interrogãte, semper puellam esse respõdit, cũ propriũ nomẽ ædere debuisset. Tandẽ sacerdos cõmotus, ad anũ matris tuæ (uti nostris mos est loquẽdi) quid mihi ista narras, cũ cunnus esse puellam ostendat.

De mercatore & Iudæo.

Quidam helluo consumptis bonis paternis, animũ ad imposturam adiecit, atq; in nundinis Francofurdensibus stercus humanum in sericũ inuoluit: atq; rẽ se habere preciosissimã testatus, circũtulit, illius scilicet efficaciæ esse, ut si quis minimã partẽ eius degustauerit, quicquid in animo conceperit hoc ei futurum. Verum Iudæus (cuius gentis mos est omnia tacitè speculari & explorare cogitauit si ipse emeret, uelle habere in animo dũ gustaret, uillas & multas possessiones, unde summis opibus suffarcinaretur: ideoq; illũ clàm conuenit, & quanti æstimaret interrogauit. Ad quod helluo, abi, inquit,

inquit, nam tu non mercaberis: uestes enim tuæ non indicant facultatem huius rei emendæ. Cui Iudæus, Qui scis? indica quanti facias. Respondit ille, Septingentis aureis. Iudæus sequestro numerauit pecuniã, ut si uenditor uerum dixerit, apud illum acciperet: atqui re degustata fastidiosus merdam esse dixit. Venditor impleta conditione, pecuniam apud prætorem obtinuit.

De quodã beatam uirginẽ inuocãte.

Duo nobiles cuiusdam principis publici hostes, cum in summo discrimine rerum uersarentur, hostes enim eorum insequebantur, unus beatam uirginem Aquisgrani ut subsidium ferret implorabat. Ad quod alter nimis lõgum iter est inquit Aquisgranum, donec enim ipsa ueniret nos perissemus, & capti essemus, Inuoca beatam uirginem in Dechinga, quæ non tam longè abest, ita enim uocatur locus non procul à patria mea, ubi uirgo gloriosa religiose colitur.

Lepidum dictum Ludouici ducis Bauariæ.

Ludouicus olim Bauariæ dux, dum armigeros & sui corporis satellites cuperet habere audentissimos fortissimosq;, oblati sunt ei quatuor, qui fortissimi prædicabantur. Et cum multa uulnera accepissent, atq; cicatricibus in toto corpore deformati essent, dixisse fertur, credo profectò, ex uultu naturæq; uestræ quadam pensiculatione atq; physionomia, tales uos esse,

quales estis famigerati: illos tamen uidere mallem, à quibus tot uulnera accepistis, quos fortiores uobis esse contenderim.

De uirgine quadam.

Cum cuiusdam gynæcei uirgines de amatoribus tã religiosis quàm etiam secularibus (quod sæpe usu uenit) colloquerentur, fuit quæ se dixit non posse amare religiosos, & malle cum decem secularibus quàm uno religioso rem habere.

Iocosum factum cuiusdam uetulæ.

Cum anus quædam uiatorem pauperem, studendi gratia Parhisios proficiscentem, rogaret, quò nam ire uellet? & ille, Parhisios, respondisset, intellexit uetula Paradisum. Proinde dixit, maritum suum, qui uita excesserat paucis antè diebus etiam illò comigrasse: rogauitq; illum, ut uestes, argentum, & alia quædam illi portare dignaretur. Qui quæ uetula dederat accipiens, iter constitutum confecit, atq; rebus ad usum & uictum necessarijs prouisus, in egregium uirum euasit.

De partu adultero cuiusdã mulieris.

Vidimus mulierem quandã, marito præsente, puerũ gestare, & inter alia blandimenta infanti dicere audiuimus, (uti fieri solet) ut patrẽ oscularetur: Tũ tertius qui astabat, fieri posse dixit, si os haberet ab Argentorato Basileam usque, ita mihi scripsit Philesius.

Cõtra negligẽtes diuinos sermones.

Sacerdos

Sacerdos quidam, cũ sæpe monuisset subditos suos, ut dominico die sermonem integrum audirent, & ipsi hoc non curantes, hyemali tempore ex templo in hybernaculum, æstiuali uerò in hortos apricatum irent, donec campanæ sono ad eleuationem corporis Christi uocarentur: iußit æditum non sermone sed diuina re omnino finita pulsare. Id cum fieret, exuit ipse uestes sacerdotales, & redeuntibus rusticis nates ostendens, si, inquit, non uultis audire Christum loquentem, uidete non Christum nunc sed anum merdosum.

De monachorum facto.

Cæsar in cuiusdam oppidi cœnobio, aliquandiu cum aulica familia mansit, cuius monachi post illius abcessum ad senatores iuerunt petitum, ut quoniam hospitiũ Cæsari sui causa præbuissent, & nõ dubium esset, quin mulieres interdũ introductæ essent, sibi ad reconciliationem cœmiterij subuenire dignarentur. Fuit senatus consultum, ut illorum dormitorio reconciliato (quæ loca meretriculis essent notißima) ipsi ad eas ædes recõciliandas, in quibus Cæsar & sui fuissent, subuenirẽt.

De rustico appellante à Deo ad apostolos.

Rusticus quidam erat, uti certißima fide accepi, cui cum in peste uxor omnesq; liberi, quos plures habebat, obijssent, cœpit & ipse eadem peste correptus ægrotare. Quem cum sacerdos prouidere sacramentis, uti

uti dicitur, uellet, restitit rusticus, indignatißimeq́; se mori nolle testatus est, seq́; summa à deo iniuria affici conqueritur seriò, quòd post omnes liberos & ipse uocetur ad mortem, quum plures haberet uicinos, qui cũ liberis omnibus incolumes sint: seq́; ad Apostolos prouocaturum, iamq́; prouocare affirmat. Ad hunc sacerdos, sis æquo animo (inquit) fili, uitamq́; tuam pariter & uoluntatem diuinæ uoluntati committas: eos enim plus uisitat & ad se uocat, quos chariores habet. Cui rusticus respondit, O utinam hostis meus esset, modò sineret me uiuere: nam si ita suos diligit, diligat malignum spiritum. Et dicitur conualuisse, forsan enim per appellationem uitam obtinuit.

De alio infirmo.

Aegrotabat alius, & cum de eius uita desperatum esset, cœpit sacerdos hominem admonere suæ migrationis: & inter alia consolationis uerba ita dixit, Præpara te ad summam felicitatem ingrediendam, hodie enim ueheris in paradisum. Ad hoc ægrotus, hoc mihi profectò gratißimum est: nam si longa est uia, non possem ire pedibus, adeò defessus sum & infirmus.

Von dem Pfarherr von Kalenberg.

Sacerdos Cæcij montis in austria, de cuius facetè urbaneq́; dictis integri libelli perscripti sunt, cum semel principi suo duci Austriæ donare uellet grandem piscem, non antè admissus est ingredi ab hostiario, quàm promitteret ei mediam partem muneris à principe accepti,

cepti. Quam ob causam sacerdos facetissimus quidem, hominis auaritiam exosam habens, nolebat quicquam accipere à domino, nihilq; aliud quàm uerbera expostulans, quæ (cognita re) facile obtinuit. Et cum hostiarius pro sua parte cædendus astaret, clamauit ille, ego liberè pono tibi tres muneris partes, reseruans mihi unam tantum: & hostiarium efflictim cædi obtinuit.

De puella & amatore historia uera.

Puellam scitulam deperibat quidam adolescēs, & cùm eam de coitu appellasset, negauit illa strenuè. Sed cum perseueraret ille precibus, cœpit puella non annuere, uerum remissius negare, quare adolescens in bonam spem adductus, noctu priusquam illa dormitum iret, occultauit se in lecto eius. Cum uerò puella ueniebat, adolescentemq; inopinatò conspicabatur, perterrefacta est, indignanterq; clamando eius ausum detestari uidebatur. Tunc et adolescens timidus, ne per patremfamilias deprehenderetur, dixit, ne clames rogo exibo enim si ita placet. Ad hoc puella, nihil dico tibi de exitu: hoc unum me male habet, quòd tam arrogans sis, atq; tam benè tibi placeas, ut intrare ausis. Itaq; ea nocte cum puella grauida facta esset, duxit eam adolescens, atq; postea in conuiuio rem gestam narrauit.

De uirgine Vestali, quam rusticus grauidam fecit.

Hoc anno 1507. quidam rusticus non longè à Tubinga

binga uirginem Vestalem; quam nunc Beguinam dicimus, grauidam fecit, uel si benè memini duas. Vnde est à matre sua acriter correptus. Cui homo alioquin rudis facetè respondit, mater, inquit, ex tuo præcepto feci. Docuisti enim semper me consuetudinem et conuersationem habere cum probis & religiosis: utebarisq; uerbis psalmographi, cum sancto sanctus eris, Et ego obsecutus tuis mandatis, ita sanctus & uir factus sum.

De superstitione rusticorum.

Vetus est superstitio & falsa credulitas rusticorum, ut si cui manè lepus transuerso itinere obuius uenerit, malum aliquid illi hoc die portendi. Hoc cum cuidam rustico in siluam pro lignis afferendis cũ seruo equisq; plaustrarijs properanti contigisset. reduxit ille equos. Postridie cum rusticus iterum exiret, uti pridie uidit seruus eius ante syluam lupum, dominoq; indicauit. Ad hoc iste, fortuna est, & optimum augurium, teste etiam Plinio. Paulò pòst cum equi paßim & sine custodia in pascuis irent, uenit lupus, atq; unum ex illis supplantans pro cibo exenterare cœpit. Quod cum uidisset seruus, mox dominum uocauit, fortunam esse in equo dicens, quoniam lupus caput in uentrem equi imposuisset. Quod rusticus uidens, atq; falso augurio deceptus, factus est omnium fabula, atq; simul, ut dici solet ueteri prouerbio, risum passus est & damnum.

De quodam crepitũ uenerís ædente.

Quidam

Quidam ciuis Rotwilensis coram Sigismundo duce austriæ oraturus, magnum uentris crepitum ædidit: quare ad anum conuersus, dixit omnibus audientibus, si uultis uos loqui non est opus oratione mea, atque nihilo deterritus, prosecutus est orationem suã. Quòd adeò gratum principi (qui hilaritate gaudebat) erat, ut hominem honestißimè tractaret.

De pica loquente.

Erat cuidam ciui Augustensi pica humanam uocem edocta, quæ cum sæpe audisset famulum proclamare, uinum domini quatuor denarijs uendi, clamauit & ipsa. Cum autem nocte quadam palmites uitium ex pruina magno incommodo affecti essent, ut uina postridiè duobus denarijs carius uenderentur, proclamauit nihilominus pica uinũ quatuor denarijs: unde magnus concursus populi ad domum domini factus est pro emendo uino, quod alibi sex denarijs uenderetur, adeò ut iurgijs uirum impeterent, quòd uinũ non daret uti proclamasset. Quare concitatus dominus picam in lutum deiecit: quæ cũ subleuata esset, uidit suem accedentem, qui totus erat lutosus & stercore inquinatus, ad hũc pica, Proclamasti ne, inquit, etiam uinũ quatuor denarijs (putauit enim uti se, ita & suem in lutum deiectum, quòd uinum quatuor denarijs proclamasset.

De caliditate mulierum historia uera.

Quædam

Quædam adultera cōfeſſa ſacerdoti, habere ſepuerum ex adultero non marito, ea conditione abſoluta eſt, ut uiro qui educauerat, indicaret. Conſenſit mulier, & ſe facturam pollicetur, eaq́; calliditate fecit. Induxit maritum, ut flentem puerum perſonatus deterreret, ut minus à fletu temperaret. Vir doli neſcius, accedit perſonatus, puerumq́; ſe ni taceret aſportaturum minitatur. Ad quem uxor, manibus geſtans puerum, abi, inquit, male uir, iſte puer non eſt tuus. Hocq́; ſæpius repetiuit, atq; ita ſacerdoti ſatis feciſſe ſibi perſuaſit.

De Præpoſito Elwangenſi.

Albertus Rechberger Præpoſitus Elwangenſis felicis recordationis, cum aliquandiu in gymnaſio Tubingenſi ſtudiorum gratia moratus eſſet, & parum profeciſſet (ut audietis ex uerbis eius) tandem quum abire uellet, cum compluribus famulis equitibus, acceſſit forum, atq́; Præfectum urbis ex ſenaculo proſpicere iuſsit: ſicq́; locutus eſt, Præfecte ſi unquam querela & ſuſpicio ſuborietur, quòd ego aſportauerim à Tubinga literas & ſcientiam, rogo excuſes me: teſtor enim per caput tuum & omnes incolas, non eſſe uerum.

De quodam accipitrem comedente.

Ciuis Biberacenſis dono accepit à nobili quodam accipitrem, ut præpararet eum, hoc eſt ut manſuefaceret & inſtrueret ad uenationem. Ille autem intellexit præparandum pro cibo, atq; aſſum nobili inuitato appoſuit.

appoſuit. Nobilis itaq; faſtidioſus & indignabundus, ruſticitatem ciuis omnibus prodidit.

De caupone & uiatore.

Diuertebat apud cauponem uiator, atq; dum pro cœna menſa non eſſet ſatis lautè, atq; pro cauponis uoluntate inſtructa, deiecit ipſe caupo ex feneſtris orbem unum, quem nos diſcum uulgò uocamus. Hoc uiator conſpicatus, pocula omnia, uaſaq; uinaria, & quicquid in menſa erat, deiecit. Caupo ſtomachoſus, cur hæc faceret, interrogabat? Putabam inquit uiator, nos inferius cœnaturos.

Hiſtoria de uiro in adulterio uxorem deprehendente.

Raſor dicitur fuiſſe in Schaffhuſia oppido, qui cum ſemel domum ſuam ingrederetur, atq; adulterum ſuper uxore inueniret. O amata, inquit ille, uxor, ſi hæc uolebas facere, cur non in ſecretiorem locum ſeceßiſti? Potes enim tu ipſa iudicare, quàm male quadraret parumq; probè actum eſſet, ſi externus aliquis eſſet ingreſſus, atq; adulterum abire iußit.

De quodam mendace.

Fuerunt adoleſcentes in conuiuio nocturno, quamq; terribile eſſet hominem ſolum noctu ambulare affirmabant. Inter quos unus erat glorioſus et iactabundus, qui diceret ſe unico anno pluſquàm quadraginta noctes eaſdemq; obſcuras ſolum per ſyluas & campos

equitasse, Ad quod alius callidè subiunxit, nonne luna aliquando fulsit? Dixit mendax, præter illas. Sed tandē conuictus ab alijs; non tot esse noctes uno anno, iussus est demere aliquas noctes: uenitq; in prouerbium, ut quandocunq; aliquis plus æquo & effusius rem laudaret, uel numerando excederet, ut diceretur, deme aliquid. Ipse autem mendacium suum nō aliter purgabat, quàm quòd diceret, also zůrechnen / hoc est (si saltem bene possumus latinè eloqui) loquendo sine diligēti examine. Hoc etiam uenit, me autore, in prouerbium apud nos, quoties aliquis fidem ueri loquendo excessit, ut cogatur dicere, Loquendo sine diligenti examine.

Fabula facetissima de pulchra matrona.

In thermis ferinis erat quædam ciuis diues & pulchra, cuius pulchritudo & elegantia formæ, cū nullam infirmitatem indicaret, quæsiuit sacerdos quidam à famula ipsius, cuius causa domina eius balneum intraret, in qua nihil aduersæ ualetudinis appareret? Respondit famula, prolis procruandæ illam desiderio cruciari, istasq; thermas sterilitati mederi, Cui sacerdos, accipe, inquit, sanius consilium, Tubingæ sunt plures adolescentes, quos studentes uocant, & Stutgardiæ canonici multi, in illis locis aliquis tandem inueniretur, qui eius naturæ concors esset, à quo conciperet: plura insuper monasteria esse, in quibus aliquis monachus ad hanc rem idoneus reperiretur. Ad quod famula cum suspirio

ait:

ait: omnia tentauimus, nihil profuit. Rursus *sacerdos, sæpius & uarijs modis tentandum erat,* Timeo, *inquit famula, ne hoc nocuerit nobis.*

Pulchra historia de quodam nobili.

Noui equitem nobilem, qui cum esset in conuiuio multorũ nobilium, misit occultè seruum pro adducenda meretrice, cum qua nocte dormiret: & si adduxisset, pro inditio diceret uulpem esse, si non, leporem. Famu*lus cum rem procurasset pro uoto domini, accessit illũ, oblitus quid uulpes uel lepus indicaret.* Et cum domi*nus quæsisset, est ne uulpes an lepus?* Re*spondit, nescio per deum an lepus uel uulpes sit, meretrix est infrà in stabulo.* Atq; *rem quam nobilis occultam esse uoluit, omnibus detexit.*

De rustico ægrotante.

Aegrotabat rusticus quidam, admonitusq; à uicinis, ut fit, ut se ad Deum *conuerteret, diuinisq; sacramentis prouideret, acquieuit: & interim dum uicini pro afferendo sacerdote irent, rusticus ascendit culmen domus, atq; tectum stramine reficiebat.* Adueni*ente sacerdote, quæsitus nusquam comparuit.* Tandem *in tecto uisus, admonitus est à sacerdote, ut relictis alijs curis ad* Deum *se conuerteret.* Q*uæsiuit ille, an ne mori cogeretur?* Etiam *dixit sacerdos.* Sciat Deus, *inquit rusticus, nunquam minori opportunitate, nec intempestiuius fieri potuisse; quàm nunc: nam meßis*

 est,

est, nec mihi adhuc segetes demessæ sunt, pluitq; mihi in fœnum per rimosum tectum, ut uaccæ nolint attingere. Cui sacerdos, mitte has curas ac te moriturum, Deoq; rationem redditurum memineris? atq; si utrisq; sacramētis prouideri uellet quæsiuit. Respōdit rusticus: darnach man sie gibt / secundum quod carius uel uilius uenduntur. Cumq; gratis dari responsum audisset, dixit, So bringt mir den gogkel gar.

De quadam muliere citissimè nubente post obitum primi uiri.

Quidam caupo erat Oeniponti, qui cum ad mediū annum ualetudinarius, uitam tandem cum morte commutasset, uxor eius funus prosecuta, miserabiles edebat eiulatus, obstinateq; lachrymabat, adeò ut ducere eam cogeretur seruus suus, qui eam pro uirili parte cōsolabatur. Cum uerò ipsa quæreretur se neminem habere cum quo cauponam administraret (ut moris est mulieribus multa cōquerentibus) famulus sua in homines merita, qualiter quoq; notus esset declarando, appellauit eam de coniugio: Illa inter eiulandum dixit, ah nimis serò petisti, paulò enim antè alteri promisi.

De rustico incomposito.

Erat cuidam nobili mulieri rusticus adolescens, qui fimum ei in agrū uexit: & cum pranderet ille in conspectu dominæ, consolata illa rusticum, & ut sine pudore largiter biberet & comederet admonuit. Quod

ipse

ipſe audiens, ô domina inquit, edo uti ſus, & bibo ut uacca, Hoc uero audiens præpoſitus domus illius dominæ, atq; ruſticum de incompoſitis moribus corripere uolens, dixit: Vade ad anum matris tuæ (uti noſtris cõmotis loqui mos eſt) quàm impudicus & obſcœnus es coram gratia dominæ meæ, ita enim loquuntur adulatores noſtrates, gratiam ſemper præferentes dominis ſuis, quos gratioſos contra omnem uetuſtatem appellant. Sed dum alterum de impudentia & obſcœnitate morum arguere uellet, factus eſt multo impudentior. Pari impudentia uſus eſt & pater ruſtici adoleſcentis: nam cum domina patrem illius admoneret, ut compoſitiores filium mores doceret, reſpondit, Valdè rudis eſt filius meus ô domina, ſed ſi illi impudentiam condonauero, ſufflate mihi in anum.

De altero ruſtico incompoſito.

Alter ruſticus portauit frumenta cuidam uirgini Veſtali, quæ hodie Abbatiſſa uulgò dicitur: quæ cum interrogaret, quid ruſticus afferret? reſpondit ille frumenta, ſit uenia uerbis. Ad quod ipſa, duc equum, inquit, ad ſtabulum, & comedas offellam, donec famuli ueniant & fructum reſeruent. Tunc ruſticus, nulla petita uenia, rimoſa eſt, inquit, equa, perminget & permerdet totam aream.

De quodam conſule Vlmenſi.

Quidam conſul Vlmenſis, quum ueniſſet in legatione

tione ad dominam Mechtildam ducem Austriæ, atq; inter orandum crepitum uentris ædidisset, nihil cōmotus est, sed processit in sermone. Quod cū domina audiuisset ac dißimulasset, uirgines autem eius ac pedisequæ se inuicem aspicientes, occultè riderēt, pepedit et una ex illis. Quod consul ille audiens, atq; ab instituto sermone digressus, procedite inquit, ex ordine, & postquàm me ordo rursus tetigerit, ego redincipiam, Vnde omnes sunt in risum effusißime commotæ, dominaq́; faceta eius responsione permota, magnificè eū tractauit.

Fabula de muliere, quæ felem in custodiam placentarum dedit.

Quædam mulier in die parasceues, ut moris est Sueuis, parauerat placentas, & cum incautius custodijsset, mures noctu corraserunt. Crastina die illa maritum timens, cōsilio usa est uicinæ suæ, quomodo mures caueret, et alias placentas reseruare posset. Iußit uicina eas iuxta felem collocare, quæ omnes mures abigeret, quod factum est. In sequenti nocte felis ipsa omnes placentas deuorauit, in quarum custodiam data erat.

De quodam mendace.

Quidam rusticus filiam uicini amauit, eamq́; sibi in coniugium dari postulauit. Quod cū inter amicos uirginis tractaretur, omnesq́; illam ei dandam negarent. quia mendacißimus esset: unus restitit, & quæsiuit an lusor esset, an uinosus, an alijs uitijs obnoxius? Et cum

inueniret

inueniret eum alijs in rebus probatum laboriosumq́; inprimis, ac solo mendacio famosum, dandam illi amicam suam persuasit: si enim omnibus mendacia sua cōstant (inquit) ut dicitis, nulli damnosa sunt, quia nemo illi fidem habebit, itaq; nullum decipiet.

Iocus de quodam Heluetio.

Heluetius quidam in alpibus pascendi pecoris cura detentus, quòd rarißimè in templa deorum ueniret, semel instigatus à uicinis suis in hebdomada magna, quā & sanctam uocant, matutinis interfuit. Et cum solito more extinctis luminibus tumultus fingeretur, quē Iudæi concitasse creduntur in captione Christi, ille extracto gladio, in angulo fani stetit summo timore perculsus: cumq; lumina rursus accēderentur, uicinum suum acclamans, quæsiuit an ne uulneratus esset? Et interea uidit sacerdotes imaginē crucifixi portantes, & quoniam non nouit imaginem, dixit, Ego bene cogitaui tantum tumultum non finitum iri sine homicidio.

De alio Heluetio.

Alius in ijsdem montibus habitans, habebat filiū pastorem, qui cum semel in uita sua in die palmarum uenisset in delubrum Dei, uidit pueros simul & iuuenes cum senioribus proijcientes ramos palmarum in uiam domini. sic illius uiam honorantes (ut moris est) ipse uerò credebat malefactorem esse, ac educto gladio summa ui impetebat, ita ut & ille & asinus corruerent.

Atq; domũ rediens patri nunciauit, se cunctum populũ magno timore liberasse: in quem enim rixosum, ut ipse credebat, omnes homines impetũ fecerint nec domare potuerint, se unum confecisse, atq; equam (sic enim asinum per cõtumeliam uocabat) prostrauisse in terram.

De quadam nupta.

Cum in Neiffa oppidulo dominica die nuptiæ essent celebratæ, nec sponsa die lunæ sacrificijs diuinis interesset: aderat hic sacerdos quidã in sacrario aduena, qui diceret alijs in locis in consuetudine esse, ut sponsæ postridie semper intrarent fana deorum, bonum auspiciũ precantes, seq́; mirari, cur id istic non fieret. Respondit alter, exitiosum esse uulneratis intrare templa: uulneratam enim credebat sponsam per maritum.

Facetum dictum nobilis mulieris.

Cũ Sigismundus archidux Austriæ, Alsatiam, Prisgoiam, præfecturam item Sueuiæ duci Georgio Bauaro uendidisset, nec incolæ huius uenditioni consentire uellent: quidam eques auratus Bauarus, huius negocij cõficiendi legatus, quum castrũ Phirt pertransiret, uxoremq́; præfecti illius castri extra castrum cum suibus sedere offendisset, illa salutata, quid faceret interrogauit. Ad quod festiuè domina respondit, Audio, inquit, nos futuros esse Bauaros, ideo nunc idioma eorum discere attento ex suibus, Bauaros enim sues uulgus uocat, ob maximum eorum in illa regione prouentum.

De

De quodam Minorita.

Quidam frater de ordine minorum Martianus, cum sanctum Franciscum pro meritis laudare uellet, ita concionatus est, sibijpsi respondens, Francisce ubi uis sedere? apud uirgines? Respondit sibijpsi, non. Vltrà, Francisce ubi uis sedere? apud confessores? non. Vltrà, Francisce ubi uis sedere? apud martyres? non. Atq; sic deinceps ultra de choro ad chorum ducens, cum non inueniret locum, quo tantum uirum locaret, surrexit quidam rusticus, Si non potes aliter pater bone loces eum ad locum meum, ibo enim ad cauponem tædio scilicet affectus, cum tam diu in locando sancto perstreperet. Dixit & alter, doleo profectò miseram tam sancti & boni patris uicem, qui tam diu stare cogatur, quando ad tot annos sequaces eius nondum locum inuenerunt, quò eum reponant.

De alio Franciscano.

Alius eiusdem ordinis, cum de extremo iudicio disertè horribiliterq; disertaret, quomodo uidelicet conueniendum sit omnibus mortalibus in ualle Iosaphat, cœlumq; uacuum fiet, omnibusq; ante tribunal Iudicis summo cum timore incertum iter sit expectandum. Intrauit interea ædem sacram Thomas tornarius mihi notus, atq; hanc discrepantiam uiarum & fœlicitatis audiens continuò abiuit, ac, ô bone pater, inquit, ego tuæ sentētiæ suffragabor in electione itineris: ibo enim

ad cauponem, bibiturus mediam mensuram uini, donec deliberaueritis quò eundum uel ubi manendum fuerit.

De quodam deceptore.

In nundinis Francofurdensibus, quidam nequam plumbum resq; uilißimas corio insuit, ac si res praeciosa esset, atq; in conspectu cuiusdam diuitis negociatoris & multorum hominum fascem illum clàm ab se abiecit, atq; postea leuauit, quaeritans an quisquam in tanta turba rem illam perdidisset? Acceßit diues parum probus, atq; suam esse constanter affirmauit. Cui deceptor, est ne res preciosa ut apparet? Preciosam asserente negociatore, non recipies, inquit deceptor, nisi dono mihi dederis decem aureos. Quos ille sponte obtulit, atq; abiens corium aperuit: atq; uilitate rei perspecta, mox deceptorem conuenit, seq; fraudatum allegans, nisi ille decem aureos redderet furcas minitatur: Cui deceptor, cur ergo mendaciter & fraudulenter dixisti rem esse tuam? & apprehensa eius manu, ueni, (inquit) mecum ad Praetorem, & de nostra improbitate experiamur. Negociator retraxit manum, atq; ab omni accusatione fugiendo destitit. Historia uera esse dicitur, ut retulit mihi Bernhardus Hußlin.

De magno anno Platonis.

Duo philosophrasti in quadam caupona diuertebant ad hominem senem & facetum, atq; cum noctu inter bibendum multa de philosophorum sententijs disputassent,

sputassent, præcipuè de magno anno Platonis, qualiter post triginta millia annorum, iterum apud eundem cauponem & in eodem diuersorio reciperentur. Tandem rogarunt senem, ut interim symbolum facere differret: tunc enim cum reuenerint, symbolum soluturos pollicentur. Ad quod facetè caupo, in exacto, inquit, anno, ante uidelicet triginta millia annorum, etiam fuistis hic, symbolum habentes, & nondum solutum est: soluite erga præteritum, & ego solutionem illius differam usq; ad futurum annum.

De duobus mendicantibus.

Duo mendicantes uerbis rixabantur adeò, ut unus alterum mentiri diceret, alter percussuro similis, pugnoq; minitans (quoniam mendacium inuisum est Germanis, maximeq; homines dehonestare creditur) dicis me mentiri? ait. Ille uerbera timens, negauit se dixisse. Altero sæpius repetente, tu dixisti me mentiri. Ille uerò sæpius negando, tandem dixit, tu mentiris ad os tuum, quòd ego dixerim te mentiri. Ad quod alter, benè tibi profectò, quòd non dixeris me mentiri, alioquin tibi os tuum contudissem ut posthac nulli faceres.

De quodam insulso cornuto.

Cum D. Fridericus tertius, tempore concilij generalis Basileã peteret, ac oppidum Rheinfeldam transire statuisset, ciues eius oppidi honorificè regem suum salutare cupientes, quæritabãt sacerdotem eruditũ & idoneum,

idoneum, qui munere oratorio fungeretur. Obtulit se quidam beanus (ut barbarè uocamus eum qui barbarus sit) & homo indoctus, incultisq́; moribus deformis, qui uel Zwickauiæ uel Dauentriæ uel Butſpachij in militia literaria desudauerat: & cum uniuersus populus totusq́; ordo clericorum cum sacramento eucharistiæ obuiã processissent Cæsari, insulsus ille beanus nihil aliud dixit, nisi beneueneritis domine rex, qua salutatione ob sacramenti reuerentiam, uix dum risum Cæsar continuit.

De seruo cuiusdam nobilis.

Quidam nobilis seruierat, & cum dominæ suæ quæ erat in thermis, foliũ arboris è cruribus amouisset, mulier indignata quod crura tetigisset (est enim superbissimum genus in terris benè dotata mulier) mox in balneũ exiuit, atq; uirũ, ut illi toto territorio suo interdiceret, coëgit. Seruus aũt in aquis spaciabatur quoniam terra esset ei interdicta. Tandẽ reconciliatus, dixit ad dominã, si ego posthac fascẽ uirgarũ in pudẽdis tuis uiderem ô domina, ego nollem eripere atq; extrahere.

Lepidum cuiusdam consilium ut periuria uitarentur.

Narrauit mihi homo fide dignissimus apud me, se audisse, cum quidam populus conuentum haberet, cõsulturus an militandum esset Maximiliano, & cum iuramentum aliquid firmare uellet, surrexisse quen-

dam atq; ita dixisse. Primùm iurauimus nullum annũ stipendium accepturos à principibus: posthac iurauimus nulli principi militaturos: Tertio iuramento reuocauimus nostros à Mediolano: nunc iterum iurandum est, Ego, ut periuria uitemus, consilium do, ireiurando confirmare, nihil posthac nos eorum quæ iurauerimus seruaturos.

Facetum dictum & ridiculum.

Erat cuidam nobili uiator & tabellarius, quem cum domum ad oppidulum suum ab Augusta misisset (ubi Principes Sueuorũ fœderis conuenerant) occurrit ei quidã oppidanus, qui sibi prudentißimus uidebatur, quæsiuitq; (ut moris est nostris) quid nouarũ rerũ afferret? Respondit uiator, perpauca esse noua: unum tamen esse hominem Augustæ combustum, qui falsum cõmiserit, Cũ rogatus esset dicere, quod falsum, respõdit: illum niues post fornacem (ubi summus calor esse consueuit) indurasse atq; siccasse, & pro sale uendidisse: Quod ille insulsus homo credens, cunctis narrauit, seq; cunctis triuijs fabulam fecit, qui Sibyllæ folia colligere se scire uolebat. Res gesta est, atq; mihi cognitißima.

De pigra muliere.

Dum quædam mulier uapularet à uiro, maximè ob pigritiam, cœpit eiulando clamare: cur me percutis? nihil enim feci, Propterea te percutio, inquit uir, quia nihil facis.

De mo-

De monasterio monialium.

Scio monasterium uirginum Vestalium, de quarum pudicitia & continentia cum semel quærerem quendam illarum uicinum: respondit mihi ille, Nullam in toto conuentu castam præter unam, quæ ideo casta uocetur, quia nondum peperit: cæterum dubitari de uirginitate eius, omnes alias esse matres, & quasdam habere nnmerosam prolem, præsertim uirginem maximam, quæ Abbatissa à nobis dicitur. Subiunxit tertius homo facetus, Verum est, nisi enim sæpe mater facta esset, ex institutione & regula earum repelletur ab officio.

De quodam adultero grunniente more suis.

Quidam adulter commertium habuit cum uxore pistoris, cum qua dum nocte quadam esset, maritumq́; domui appropinquantem uideret, cõsilio amicæ in stabulum porcorum quod sub scala erat propere se proripuit. Adueniens uerò maritus, & strepitũ (nondũ enim composuerat se ille) audiens, quis es tu? inquit. Ille more suis primum grunnire cœpit, uti erat instructus ab adultera: sed pistore instantius quærẽte, dixit, sum miser porcus, qua uoce adeò exterrebatur pistor (diabolicam uocem existimans, quam ille terrore nimio horribilẽ ædiderat) ut è uestigio domũ fugiendo relinqueret, adulteroq́; liberam abeundi facultatem præberet.

De ru=

De rustico Lentino.

Rusticus Lentinus à lẽtibus dictus, scurra & parasitus notißimus, apud Blancã Mariam reginã augustã, atq; alias principes mulieres, cũ sequeretur militiam Regis Vngariæ, & alibi apud Gallos, Morinos, & Sicãbros &c. nolebat interesse prælio, dicebat enim neminem ibi tũc esse qui esset cõpositor, armaq; ab armis disiũgeret, uti fit apud rusticos in dedicationibus sacrarũ ædiũ. Idẽ semel esuriens, rusticũ accesßit, seq; ei apẽ (ita enim totũ examẽ unius aluearij apud nos dicitur) si lautũ ei prandiũ apponeret, monstraturum pollicetur, quoniam aliò festinanti inutilis sibi esset. Consensit rusticus, seq; postquã saturi essent multis instrumentis, quibus ad continendas apes opus est, instruxit. Quod cũ uidisset scurra, non est opus tam multis, dixit: Sed cùm uenissent in campum, & frustrà iam diuspaciati essent, dixit rusticus, credo me delusum esse. Non profectò, ait scurra, istis enim floribus hodie unam insedentem uidi, nec de pluribus dixi, ac illum delusum remisit domum.

Historia de Philippo Comite de Rauenstein, & Conrado de Rosa, ex pugna profugis.

In eo prælio quo Maximilianus adhuc archidux Austriæ & Burgundiæ, memorabili clade multisq; hostium millibus occisis, uictrici dextra profligasset Ludouicum Gallorum regem Caroliq; strumosi patrem,

trem, apud Morinos nunc Terrauanam dictam, nec magnum damnum accepisset, nisi in impuberibus, ualetudinarijs militibus, mulieribus & sacerdotibus, quos omnes alio itinere Galli equites, fortè septingenti in castra nostra irrumpentes, ad unum occiderunt, præter paucas meretrices (quod Christianißimo minimè conueniebat, nedum Christiano) non defuerunt in exercitu nostro equites, qui etiam pugna excedentes fuga salutem quærerent, præsertim Philippus Comes Rauensteinanus cum suis equitum copijs totis, quarum præfectus erat, festinanter se abstraxit, timoris ne an proditionis gratia nescio: cum quo fuit Conradus Rosensis, scurrilitate & iocis apud regem Maximilianum hodie gratiosus. Quum igitur quidam in præsentia Comitis ad Conradum diceret, uelociter eum abijsse, Verum est, dixit, sed multo me uelocior est Comes Philippus, qui fugiendo duobus me milliaribus præceßit. Et conuersus ad Comitem iocatur in eius fugam, dicens, O domine Rauenstein, quàm optimum habes equum, qui tam uelociter currit: nam cum ego equi laßitudine cogerer subsistere, tu cum tuo duobus adhuc milliaribus summa ui & calcaribus admotis equitasti. Comes ille nunc est Genuæ præfectus ab rege Ludouico, qui quali sit in Germanos animo sæpe declarauit. Hæc est uerißima historia prælij apud Morinos, quam Chronicarij Galli uarijs coloribus defucant.

De

De quodam simplice fratre.

Quidā frater laicus, quem conuersum uocant, quū à suo Patre & Priore missus esset Coloniā Agrippinā ut uenderet equū, frater ligato equo ad palum, deambulauit hincinde in calopedibus suis, nec more aliorum in foro equario hincinde equitauit, an uspiā emptorē inueniret. Tandem cum ad eum ciuis quidam Coloniensis uenisset, atq; quid faceret interrogaret: respondit frater, nescio. Cui ciuis, cuius est equus? Ad hoc frater, ego debeo uendere. Non hic sedendo uendes, inquit ciuis. Quid ad me, dixit frater, ego talia non curo. Cui iterum ciuis, ualet ne? Tum frater, ego credo si ualeret Pater noster non uenderet. Cuius ruditate perspecta ciuis iusto precio mercatus est equū, atq; fratrem remisit domum. Est adhuc apud nos in prouerbio, cōtra negligentes uel nullā curam gerentes, Ipse talia non curat.

Contra Curtisanos & indoctos.

Miserandum est & lamentandum, quòd adeò sine delectu sacerdotia & beneficia conferuntur, atq; gratiæ expectatiuæ (ut cum uulgo loquar) indoctissimis quibusq; præsertim Curtisanis, qui cum sint nullius, neq; studij neq; eruditionis, proficiscūtur Romam, atq; in despectum literatorum multis beneficijs atq; curatis quidem dotati, repedant domum in maximam perniciem & interitum Ecclesiarum & animorum fidelium, quoniam nihil unquam aut uoluerunt aut potue-

runt discere, nisi curare asinos, atq; ut ipsi loquuntur practicam cancellariæ, pro circumuentione simpliciũ sacerdotum, repetere atq; discutere. Nolo tamen de omnibus loqui, quoniam & docti & probati uiri etiam inueniuntur in hoc ordine. Sed ut ad institutum ueniã, quidam illorum dicitur uenisse ad quẽdam Pontificem pro beneficio, à quo cum esset requisitus, quot haberet beneficia? respondit, tres. Ad hoc Pontifex, sufficit ubi unus, dixit, atq; eum à se repulit. Fecit autem sicut alius quidam idiota, à quo cũ quæsitũ esset ab examinatore (ut uocant) Constantiensi. Quot essent Sacramẽta? Respondit tres. Ad hoc doctor conformiter loquens, quos? Dixit ille asinus thuribulũ, baptisteriũ, & campanile. Alter nuper quæsitus Constantiæ, cuius diœceseos esset? Respondit sum de alten Bulach, ita enim uocabatur eius patrium oppidulũ, atq; quid diœcesis esset ignorabat: illi dũ sacrificant diuinas operationes, ut nuper quidam iocatus est, dicit Christus ad matrẽ, uale mater, uado enim iterum crucifigi, alludens ad ignorantiam illorũ, dum peruersè et corruptè legant sacras & mysticas literas. Ego uidi duos simul orantes, & cũ unus dixisset, surrexit Christus alleluia: alter nescius quid responderet, dixit ita per Deum uiuum alleluia.

De quodam Blasphematore.

Erat quidam Rottenburgi cis Necharum, qui propter maximas blasphemias quibus diuos detestatus erat ultimo supplicio deputatus, ut in aqua suffocaretur: & cum

& cum iam exiret, festinanterq; cursitarent pueri, ut huic rei interessent, ille ad festinantes pueros conuersus, aspirate paulum, ait, & nolite adeò festinare, nam & ipse segniter incedens, huic spectaculo adero.

Testimoniũ cuiusdam Tubingensis.

Quidam Tubingensis in testem adductus, tale testimonium dedit, ego iacui & dormiui, attamen uidi & audiui, quòd actorem ligone percuteret ad caput, nescio tamen an tetigerit eum.

Contra Curiales Romanorum.

Narrauit nuper quidam in cœtu conuiuarum, maximam esse perfidiam Romanorum, fidemq; uenalem, & curiæ familiares apostolicæ corrosores esse pecuniarum egregios, uti ipse sua crumena luculenter esset expertus. Ad hoc unus, optimè eos & more suo facere, respondit: nisi enim ita facerent, degeneraturos à maioribus & conditoribus suis, qui fuerint prædones & raptores, alludens ad Romulum.

De quodam ebrioso.

Quidam hostiarius Schelklingensis, cũ semel noctu ebrius factus esset in caupona, ut uix rationis compos esset, atq; reduceretur domũ, in itinere, nescio qua ducentiũ incuria, per multos gradus in quoddam cellariũ cecidit. Illi timentes de periculo hominis, erexerunt eum: ad quos ille lætabundus, ait, O quàm pulchrũ est si quis nouit alphabetum recto & præpostero ordine.

De confessione cuiusdam, quòd ebrius fuisset.

Est quidam sacerdos in Vrach de ordine clericorū in communi uiuentium, Alexius nomine, lunaticus & statutis temporibus parum sanus, sed mente captus. Ad quem in æde sancti Amandi seriò deambulantem, accessit alter uillanus sacerdos, petens ut pateretur se ei confiteri peccata sua. Alexius liberè annuit. Incepit ille confiteri, quomodo priore nocte ad uomitū usq; ebrius fuisset apud Carthusianos Boni lapidis. Ad quod indignatus Alexius, alta uoce clamans, dixit, benedicat tibi potum diabolus, qui & te absoluat. Atq; ita magno scilicet clamore cūctis hominibus sacerdotis ebrietatem detexit, atq; sine absolutione hominem dimisit.

Ridiculum factum cuiusdam Tubingensis.

Habemus incolam Tubingensem, præter suam opinionem, mihi parum literatum uisum, cuius mater cum semel gallinam in quodam sacello consecrato capere uellet, desine, ait, modò, nam illius gallinæ non habebis conuiuam me, quæ ecclesiastica libertate gaudet: afficies enim te et nos omnes maximis incommodis & periculis, uolens eam excommunicatam esse, si uim gallinæ in sacello intulisset. Quam rem postea in balneo mater bonis amicis narrauit, docens pulcherrimū esse liberos institui in bonis artibus, quantoq; seipsam peri-

culo

culo expoſuiſſet, niſi filius literatus interueniſſet, mõſtrauit. Idem ſemel ad me dixit, ſacerdotes multũ grauari ſi quotidie celebrare diuina cogerẽtur: ſibi ſi quis beneficium conferret, paratum bis in die celebrare. Illius ipſius cum nuper quidam eruditionem iocoſè commendaret, pollicitus eſt alter, ſi omnis illius eruditio in uenenum Mithridaticum uerteretur, ſe impigrè & ſine formidine imbibiturum. Longam hiſtoriam facerem, ſi totum hominem resq; eius geſtas deſcripſero.

De duobus filijs cuiuſdã ſacerdotis.

Noſco ſacerdotem, cuius concubina cum duos ei filios peperiſſet, iocabatur ſe habere fidelem ancillam, quæ cum ſine ſuſpitione potuiſſet unum filiũ ſuppreſſiſſe ei & occultaſſe, ambos reddiderit.

Hiſtoria de Iudæa filiam pro Meſſia pariente.

Cũ olim eſſem in Bohemia, audiui talem hiſtoriam. Quendam Chriſtianũ amaſſe Iudaicam puellã, quã cũ feciſſet grauidã, ita puellam cõmunicato conſilio liberare à periculo conatus eſt. Nocturnis enim apparitionibus domũ incurſauit, horribiliq; uoce parentibus puellæ plus quã ſemel denunciauit, filiam illorum uerum Meßiam parituram. Illi re delata ad Iudæos uicinos, cõſiliũ capiunt, uniuerſis Iudæis hoc inſinuandũ. Conuenientibus igitur ex omnib. regionibus Iudæis, ipſa enixa eſt puellam: unde nõ parũ conturbata eſt omnis Iſraël.

De nebulonibus & meretricibus & sacerdotum filijs.

Est uerißimum prouerbium apud nostrates, nullum esse genus in terris, quod plus uelit & cupiat honorari, sibiq; honores in omni conuentu exhiberi, quàm homines nihili, nebulones & meretrices, nec esse genus in terris, quod minus quàm illi conetur ad uirtutes & egregia, unde honores debent consequi. Quod cum nuper in quodam colloquio de superbia illius generis loqueremur, dixit unus, Quamlibet meretricem optimè & acutißimè uidere, quæ alteri sui generis turpia sint, quæq; eam dedeceant, nullam tamen ex turpitudine aliarum reddere se inde meliorem. Ego autem allegaui Iuuenalem in sexta satyra dicentem, Illas bestias citius & libentius uno oculo esse contentas, quàm uno uiro. Ad quod alius facetißimè: quid plura, inquit, dicimus? meretrix multo minus uno amatore contenta est, quàm mendicus una domo: qui si uictum mendicare uelit, cogitur non solũ uicatim, sed & domesticatim lamentari & flendo petere. Tum alius quidam, sacerdotũ filios affirmabat superbißimæ esse naturæ, atq; aut omnino esse probos, aut prorsus nihili & nequam homines. Ad quod item alius, hoc ego experientia didici, ait, sacerdotes fugere solere liberos suos dum infantes sunt, eorumq; uel præsentia uel cõmemoratione pudore affici: econtrà liberos illorum dum adoleuerint, uiriq; facti fuerint, fugere patres, atq; odio habere probrosam suã genera-

generationem, dum uetuli eorum sacerdotes, iam gloriosi ex illis habere uelint, eosq; iactanter ament.

De monacho sene deflente suam impotentiam.

Dixit mihi quidam contigisse sibijpsi dũ indulgentijs apostolicis (ut uocant) semel cuidam monacho prouectæ ætatis confiteretur, atq; suam militiam uenereã in omne genus muliebre exercuisse narraret, effuse monachum fleuisse, adeò ut ipse in magnam deueniret desperationem, quòd illum flere ob sua peccata maxima existimabat, ita ut quid incœptaret uel quò se uerteret nesciret, omnis enim salutis spes abierat. Tandem monachum collecto animo consolatum esse, atq; dixisse, non timeas fili, animæ enim tuæ atq; saluti adhuc optime consultum erit, dum doleas de peccatis. Ego enim ob nihil aliud fleo, quàm quòd mihi reuocaueris in memoriã florentissimos annos exactos, in quibus etiã uir eram. sed amplius proh dolor in ea re militare nõ possum. Hoc ille mihi iureiurando sibi factum affirmauit.

De monachis quibusdam.

Audiui ab alio, qui adhuc uiuit in magna hominum existimatione, qui dicebat se uenisse ad quoddã monasterium, & cum conuenisset aliquos neophytos (ut ipsi uocant) interrogassetq;, an non haberent aliquam secũ dominam & bonam amicam? Respondisse illos non, affirmantes nisi patres futuri essent, eis non licere.

De quodam impotente.

Cum quidam apud amicam suam hyeme impotens esset, langueretq; instrumentum generatiuum: atq; puella summa pudore affectum uideret, non cruciere (inquit) frigoris enim culpa id fit. Non per fidem meã, inquit adolescens, nam hoc idem plus quàm semel mihi fecit in æstate, dum calidißimus esset dies.

De quodam nobili.

Narrauit mihi nobilis quidam, dum profectus esset cum socero suo ad episcopum Spirensem, eo primo anno quando duxisset uxorem, cogerenturq; simul lectorum penuria dormire, noctu in somnijs se socerum cõtrectasse dum uxorem esse crederet: & socerum euigilatum clamasse, desine gener quæso, filiam enim ob hoc tibi dedi, ut ego à te tutus essem.

Facetia ex Ioanne Gersone.

Matrona quædam uenerat Aurelianum, & uidens illic multos adolescentes scholasticos, quæsiuit quidnã facerent? Respondebatur, eos literarum studijs operam dare. Ad quæ illa, quibus literis? Iuri ciuili respondebatur. Illa uerò in quem finem? quales sunt illi futuri? Dicebatur, ut fiant secularium causarũ tractatores, causidici atq; litium patroni. Heu clamabat illa, solùm est in patria mea unus causidicus uel procurator, et fermè tota patria per eius nugas & fallatias destructa est: quid nunc fiet de tam ingenti scholasticorum classe?

De ra=

De ratione cur filius patrem sequatur, & cur filia matrem præcedat.

Dum quæritur à nostratibus, quæ causa sit quare filius patrem sequatur, & filia matrem præcedat. Respondent mulieres, *non ineptè neq; falso. Filiam præcedere matrem ideo, quia mater tuta & certa sit suam esse prolem: filium autem subsequi ideo, quia pater filium à tergo ostentans, dicat hunc se credere suum esse filium, & quia falli poßit per uxorem, ideo propter hoc dubium sequi debere filiũ Certa enim oculis subijciuntur: incerta à tergo uidemus, neq; oculis directis.*

De quodam Carbonario.

Princeps quidam potentißimus, grandem thesaurum amisit trium candidatorum suorum atq; primorum perfidia furtoq;, qui maxima præmia proposuit illi qui sibi ablatum indicaret thesaurum. Habitabat *autem in uicinis nemoribus carbonarius quidam, summa omnium rerum penuria laborans, qui cũ talia audisset, cogitauit intra se ægestatem suam atq; uulgare prouerbium Sucuorum, quo dici solet, bonum prandiũ pollere & pensandum esse patibulo, hoc est, non detrectandum esse suspensionem pauperibus propter bonum prandium. Quare isto prandio paupertatem finire cõstituens, acceßit principem, seq; (detur modò triduum pro deliberatione) thesaurum indicaturum pollicetur. Princeps intra conclaue carbonarium inclusum, lau-*

tißime epulari mandauit. Prima autem nocte dum iam satur esset, dixit, Deus benè uertat (uti nostri dicere solent) iam unus accessit, credens unam diem abijsse. Stabat autem unus furum ante conclaue, exploraturus quid iste faceret: atq; cum hoc audisset, mox ad suos rediens, monstrauit quæ audierit. Altera nocte accessit alius percepturus quid carbonarius ageret: & cum carbonarius more solito lautè cœnasset, dixit ut antè, secundus accessit. Furille mox ad suos audita retulit. Et cum tertius tertia nocte uenisset, dixit, tertius & ultimus adest. Vnde illi tres communiter carbonarium accedentes, atq; thesaurum deferentes, maximis muneribus donatum rogant, ne se deferat, thesaurumq́; principi inuentum restituat. Quem ille cum postridie Principi afferret, ditatus est ab eo largißimè, ac usq; in finem uitæ suæ uatis honore dignatus est. Hæc est potentia fortunæ, quæ reuera etiam non frustra dicitur audentibus præstò esse, quæq́; maximos sæpe & insperandos hominum conatus potenter adiutare uisa est.

De fratre Minore monialem grauidam reddente.

Quidam frater deuenit in monasterium uirginum Vestalium, & cum humaniter esset ab eis tractatus, cœpit pro gratiarum actione concionari de fide & doctrina Christi: & cum ad uirtutes summa eloquentia cohortaretur, noctu ut hominem quibus possent honoribus

noribus prosequerentur, in publicum earum dormitorium collocarunt. Cum autem nox intempestiua accederet, cœpit frater clamare alta uoce, non faciam, non faciam, non faciam. Moniales igitur expergefactæ accesserunt, atq; consolatæ sunt fratrem, atq; cur fleret & sic uociaret interrogauerunt. Tum dixit ille, uox de cœlo uenit, iunioris amplexibus fruare, ut inde episcopum procrees: sed ego omnino recuso. Quod sorores intelligentes, adduxerunt ei iuniorem. Quæ uiso fratre, cœpit refragari quadam uerecundia & retrò ire: quod aliæ uidentes, dixerunt se in primis uoluntarias, si quid tale ab eis peteretur. Tandem illa paruit, atq; exacto tempore filiam peperit. Exinde correptus frater dixit, quia non fuit uoluntaria, nec diuinæ uoluntati morigera, ideo in pœnam peccati filiam peperit.

Contra ignaros sacerdotes.

Prius detestatus sum seu ambitionem, & auaritiam, seu peruersam quorundam maleuolentiam, dum sacerdotia & beneficia quæ dicuntur, indoctißimis plerunq; conferuntur, quæ mercari solent muneribus & fauore, dum docti homines negliguntur, nec possunt emergere: nunc iterum ostendam quid proueniat ex illorum ignorantia. Commissa fuit cura pastoralis cuiusdā pagi sacerdoti in primis rudi & indoctißimo, qui cum sepelire uellet gladio interemptum quendam in adulterio deprehensum, affuerat ei tunc inopinatò

uicinus

uicinus sacerdos, qui consuluit prius episcopi consensum petendum. Acquieuit ineptum capitulum, atq; episcopum accedens, flexis genibus, dixit, proficiat uenerabilem patrem. Episcopus tacuit, atq; hominem indignanter aspexit. Tum rursus ille, proficiat ucnerabilem patrem, Ioannem de Luterbach, est mortuum non elatum (pro oleo unctum) non chrismatum, non sepultum, sine crux, sine lux, & sine deus: & nihil amplius latinè sciens loqui, dixit, Herr sol ich jnn dē Kirchoff vergraben? Respondit episcopus, nō. Cui sacerdos, quare? Ad hoc episcopus, quis te ordinauit in presbyterum? Respondit sacerdos, jr Herr / Cui episcopus, quādo? Ad hoc sacerdos submisse. Herr wissend jr da ich eüch die zehen gulden gab. Ita episcopus propriam culpam inuenit & extorsit.

De alio indocto sacerdote.

Alius erat qui promisit episcopo centum se oues daturum, si in sacerdotem eum ordinaret. Consensit episcopus. Postquam ille adeptus esset sacerdotium, uenit ad episcopum centum secum oua portans. Cui episcopus, oues mihi, inquit, pollicitus es, nō oua. Ad quod sacerdos, nō est magna differētia inter ues et ua, id est inter oues et oua, et quæ me latuit, tua culpa est, qui nesciuisti mecū cautius mercari, nisi enim ignarus et indignus sacerdotio fuissem, nec oua nec oues promisissem.

De alio item ignaro.

Quidam

Quidam ignarus & rudis sacellanus, uice parochi uncturus infirmum, uidit apud illum stupas pro abstersione locorum inunctorum præparatas. Et cũ fluctuaret, cuius nam causa comparatæ essent, tandem infirmo sumendas iudicauit, quare tres in partes illas diuidens, dixit, Aperi os, & aperto ori primam partem intrusit, quam magna cum difficultate infirmus deglutiuit. Quo facto dixit sacerdoti, bone domine, quot adhuc supersunt? Respondit ille, duæ. Ad quod infirmus, Si adhuc unam deglutire cogar, inquit, mors mihi certißima est. Hoc factum est in oppido Schorndorff.

De alio uncturo infirmum.

In oppido Kalb, quidam sacerdos uncturus infirmũ, oleum sacrum secum attulit. Cui æger dixit, infunde mihi in uasculum, & appende ad caput lectuli, reuertereq; paulo pòst, quoniam iã fieri non potest. Consensit sacerdos, atq; abiuit. Interea uerò temporis ægrotus totum oleum exhausit, reuenienteq; sacerdote, dixit ille, Bone domine factum est, ebibi enim totũ. Cui sacerdos, benedicat tibi diabolus ingurgitationem tuam.

Alterius cuiusdam factum ineptũ.

Alius indoctus sacerdos sed peioris uitæ, quoniã hoc anno perpetuo carceri mancipatus est, cũ uiri cuiusdã ægrotantis membra quæ deliquissent unxisset, cœpit & unguere pudenda eius. Cui ægrotus, si membra quæ deliquerũt ungẽda sunt, adhibe hic præcor multũ olei, nã ille

nā ille omniū membrorū meorū peccator est maximus

De monacho.

Audiui concionantem fratrem unum de obseruatione Minorum, qui dum detestaretur uestium luxuriam & impudentiam, tandem concludit, Amasij urbis nostræ nunc adeò protendunt uirilia ex tibialibus (quæ uulgò caligas uocant) multisq; linteis (quæ indusia uocant) inuoluunt, vnnd so die metzen wenen es seyen zumpen / so sind es lumpen.

De sacerdote uolente maximam particulam contra mulieres inferre.

Concionatus est quidam sacerdos tres se habere particulas, maxima uerò & longißima mulieres tangere uelle (uolebat enim sermonem diuidere in tres partes, ut dicunt, & accerrimè inuehi, & longißimis uerbis in mulieres). Quod audiens rusticus, uocauit uxorem dicens, exeas mecum Greita mea, tangat ille sua particula diabolum, te hodie nunquam continget.

De alio.

Alius mihi notus, cum corpus dominicum capite in terram uerso eleuaßet: fuit interrogatus, cur ita fecisset? Timebam, dixit, ne subligar mihi decideret.

De morituro.

Quidam moriturus dixit amico astanti, putas me moriturum? At ille, collige te & conscientiam, ut rationem summo Deo exactæ uitæ reddas; nam morieris

citò

cito, & non uiues. Ad quem ægrotus, affer mihi, inquit, femorale meum. Quæsiuit autem ille, ad quid opus habes? Respondit, cum moriar, ut contegam podicem meum ne uermes ingredi poßint.

De sacerdote baptisante.

Sacerdos baptisaturus puerum, præmisit (ut moris est) exorcismum: & cum uenisset legendo ad eum locũ ubi dicitur, lutum fecit ex sputo, mulier tenens puerũ, aliquid pulueris leuatura de terra, dorsum curuauit, & anum aperiens horrendum sonitum emisit. Sacerdos audiens, substitit à proposito, & dixit, ecce quanta uis uerborum meorum, mandaui diabolo ut exiret, exiuit ille, & totum locum fœtore impleuit, ut omnes experti estis. Mulier autem pudore affecta, nec audiens quid dixerit sacerdos, bone domine, inquit, non ego sed puer fecit. Quare sacerdos iratus, dixit, Deus det puero illi morbum Herculeum (quem nostri caducum uocant) si enim ita impudenter se gerit coram honorãdo sacerdote in illo flore ætatis, in senectute quiæ fiet?

Comparatio mulieris & canis.

Comparantur à nostris canes & mulieres, illi dum uolunt mingunt: hæ dum uolunt flent, ut Iuue. saty. 6. & Ouid. Vt flerent oculos erudiere suos.

De Coco quodam faceto.

Vuendelinus Steinbachius Theologus insignis atque hoc tempore Gymnasiarcha Tubingensis, habet

Cocũ Guilielmũ nomine, rarò sobriũ & perfacetũ: qui cũ nuper cuidam adolescenti bonæ indolis dixisset, Scis causam cur posteriora tua tam turpem habeāt fœtorē? Silente primùm adolescēte, dixit, ego dicam tibi: obstetrix primùm neglexit eam partem, nec satis abluit. Cui ex tēpore et inopinatò adolescēs, desine, inquit, ita sentire, nā aër illius regionis ita pestilens est & fœtidus, q eũ locũ occupauit, & uentus qui perflat nō locus ipse.

Fabula de sacerdote & dæmone, eorumq́ controuersia.

Quidam sacerdos rudis & inprimis illiteratus, euocaturus ab homine dæmophoreto, hoc est, dæmone obsesso, malignum spiritum, ita dixit, male spirite, ueni exterius. Cui respondit dæmon, nollo Sacerdos, quare nollis? Tunc dæmon, quia rumplas, inquit, in Grammatica, id est, destruis Grammaticam Sacerdos, bonā est latinam, dum te fugabo ad latrinam. Ad hoc diabolus, quàm rudis & imperitus erit dæmon, cui tu ademeris animam: nam quicunq; suam tibi animam commiserit, necesse est, ut uel semel in hebdomada illi intendat. Inde oritur prouerbium uetus, quo ignaros sacerdotes deludimus: Es müßt ein heiloser teüfel sein dem du ein seel empfürtest.

De Michaelis monedula.

In oppido Kircha ditionis Vuirtenbergensis, quidam scholastici uolebant eripere ex foraminibus turrium

rium sacrarum ædium implumes monedulas (quas & graculos uocare possumus) & cũ quidam Michael nomine per funem demissus esset à turris pinnaculo, ut nidos deprædaretur, cumq; amplius ob nimiam eius grauitatem & pondus corporis detineri non posset à sodalibus, decidit in terram, ac nisi situ quodam in grandem arenæ congeriem cecidisset, frustillatim fuisset diruptus, adeò profundus erat casus: Et cum omnes eius condiscipuli timore penè contabuissent, illæsus ipse ex arena prosiliens, ait, per deum uiuum, ego nulli uestrum dabo uel minimam monedulam: habebat enim quasdam antequam caderet extractas. Inde ad mortem usq; dictus est. Hätze Michel.

De nobili.

Quidam nobilis studium aliquandiu intermissum quum Viennæ repeteret, atq; diu noctuq; in Grammatica cruciaretur, nec ad totum proficeret, dixit semel ad contubernalem mihi notum (cum genera nominum in A anxiè disquireret) uellem profectò multum æris alieni mihi conflatum esse, ut omnia nomina in A essent generis fœminini.

De rustico Held uera historia.

In montibus & alpibus nostris Sueuicis, non longè à pago Iustingensi, rusticus erat cognomine Held / id est Gigas, satis opulentus, incautus tamen. Ad quem decipiendum & fraude circumueniendum duo mendici

(quos suprà scholasticos uagantes uulgò appellari dixi) tali astutia sunt usi. Vnus noctu hominem accessit, laguncul am secum defferens optimo uino refertam, atq; hospitium nocturnum suppliciter impetrauit. Et cum iam in hypocaustum uenisset (quod demissum erat, ut aliquis manu fenestras attingeret) & lumen allatum esset, cœpissentq; simul cœnare, mendicus qui lagunculam extra fenestram posuerat, rusticum & totam familiam largiter potare iussit, quoniam ea nocte nunquam deesse sciret uinum. Socius autem eius extra fenestras latitans, uino ad hoc comparato, semper impleuit quandocunq; languncula erat exhausta. Cumq; iã hospes atq; familia hilariores essent facti & ebrij, uiderentq; iugiter uinum suppetere, percontati sunt naturam & efficaciam langunculæ. Respondit, uasculum esse sancti Othmari, quod illo optimo & externo uino nunquam & in perpetuum exhaurietur ex meritis sancti illius: sibiq; decretum esse uendere uelle illud, quoniam quotidiana potatione fastidio afficeretur. Cum hoc audiret rusticus & familia, intendebant animum ad eam rem emendam, quæ summum solatiũ & utilitatem esset allatura, quanti indicaret interrogabant. Centum aureis uenditurum se, respondit ille, si in promptu adessent, Conuenerunt uerò tandem, ut acceptis uiginti, quos solos iam paratos habebat, alios dum posset daret. Postridie cum ille abijsset, nec languncula rustico pro uoto responderet, conquestus est

uicinis,

uicinis, seq; omnibus hominibus ludibrio exposuit. Est *enim hodie frequens prouerbium apud nostros, uasculum uel languncula* Gigantis, *de re inexhausta, aut de eo qui uaframento aliquo atq; astutia deceptus est.*

Historia uera de rustico, qui dixit ad Abbatem quendam omnipotentia uestra.

Tanta assentatio inoleuit in Germania *nostra, ut grandioribus & festiuioribus titulis & epithetis nunc abbates & regulos minores, ut puta* Comites, *& equites auratos ornemus alloquendo, quàm olim* Imperatores Romanos *orbis dominos summosq;* Pontifices. *Illos enim alloquendo nemo est ex inferioribus quin præferat gratia uestra, maximè in uernacula lingua, omnibus uerbis* Gratiose *pater uel domine, non minus contra rerum dignitatem & ineptè, quàm barbarè & falsò.* Et *cum uident subditi superiores in hoc delectari, alius super alium studet gratiam domini aucupari, adeò, ut omnis modus modestiaq; excedatur.* Nuper *enim (ut deniq; ad propositum ueniam) ut à fide dignißimis assertoribus accepi, quidam rusticus uicino comitante accesit* Abbatem *dominum suum, coram quo ita locutus est.* Gratiose *pater, rogo, omnipotentia uestra uelit mihi ligna conferre pro ædificanda domo.* Consensit Abbas. Sed *cum abijsset, uicinus increpando socium, cur dixisti, ait,*

omnipotentia ad dominum nostrum? Cui ille, nescio, non enim feci studiose: attamen nec me fecisse pœnitet, compos enim factus sum uoti: & quoniam in ea re delectari illum uideo, cumulatioribus cum in posterum titulis affabor atq; honestabo.

Historia de quodam Christum in cruce agente.

In quodam oppido spectaculum paßionis dominicæ agebatur, & ille qui Christum in cruce nudus egit, cũ uidisset prope crucem stare puellam unicè amatam. quæ Mariam Magdalenam repræsentabat, cœpit ei uirga uirilis erigi, uidentibus circumstantibus omnibus, adeò ut illam abducere cogerentur: quæ res suspicionem iam ante in animis hominum conceptam, mirum in modum auxit & confirmauit.

De duobus sutoribus.

Vuormatiæ erant duo sutores, quorum unus cum diues esset atq; sine liberis, parcißimus tamen erat. Alter uerò se familiamq; suam (plures enim habebat liberos) quotidianis laboribus enutrire cogebatur, lautè tamen pro facultatibus & splendidè epulabatur. & cum de mensa ad laborem rediret, læto animo patrocinium & auxilium sancti Nicolai inuocabat. Quæ uerba cum diues crebrò audiret, inuidia seu subsannando ad pauperem dixit, subueniat mihi Dauid: hoc enim nomine illic ditißimus Iudæus uocabatur.

Qui cum sutrinam illius præteriret, atq; qua se existimatione sutor faceret, animaduerteret, præ sancto Nicolao quem alter uenerabatur, cogitauit quo pacto se sancto Nicolao munificentiorem declararet. Quare sutori se inuocanti in alterius contumeliam, anserem assum (in cuius uentrem clam decem aureos imposuerat) donauit. Ille munus pauperi demonstrauit, Iudæumq; sancto Nicolao prætulit, eiusq; implorationem illi exprobrauit. Cui statim uicinus alacri fronte respondit, quid tu gloriaris de ansere? sanctus Nicolaus donabit me, non ansere, sed pingui boue: & quoniam pluris facis pecunias quàm anserem, si uis ego emam illum. Diues accepit conditionem atq; paucis nummis uendidit. Sutor itaq; implorato more solito sancto Nicolao, anserem familiæ mensæq; suæ apposuit: & inuentis aureis, confestim ad forum boarium maturauit, pinguissimumq; taurum mercatus est. Et cum domum duceret, obuius uenit diues, tantamq; fortunam admiratus, quæsiuit unde aut quo munere taurus obuenisset. Respondit pauper munus esse S. Nicolai, qui perfido Iudæo multò se munificentiorem reddiderit. Cum paulò post Iudæus ædes diuitis præteriret, & an anser sapuisset quæreret. Respondit ille, uicino se sutori uendidisse. Cui cum Iudæus rem declararet, conuenit diues pauperem sutorem apud Prætorem, atq; decem aureos rei uendicatione postulauit, quoniam anserem non aureos uendidisset. Sed

Prætor cognita rei gestæ ueritate, pauperem absoluit, atq; alterum uiginti aureis mulctauit, quòd in contumeliam S. Nicolai fœtidum Iudæum inuocasset. Itaq; hac fabula docemur, quòd etiam Germanis prouerbio dicitur. Untreüw trifft sein eigen Herrn.

De nobili & Iudæo.

Quidam nobilis debebat Iudæo quingentos aureos, quem cum Iudæus in Francofurdia apud tonsorem inuenisset, fecit eum citari ad magistratum. Cui nobilis, potes, inquit, expectare donec barba tota radetur mihi? Annuente Iudæo, mox nobilis ad tonsorem, cessa radere, dixit: atq; in posterum omnes dies uitæ suæ dimidiam barbam, ut tunc tonsus erat, intactam dimisit, nec Iudæo solutionem fecit, quoniam dilationem illam ille ipse dedisset.

De Abbate sancti Galli.

Senatores oppidi sancti Galli scripserunt abbati illic non ut principi, sed ut simplici prælato. Quod cum abbas conquereretur: responderunt, ipsum duntaxat ante meridiem esse principem, seq; literas post meridiem scripsisse, ut retulit mihi Bernhardus Hußlin.

Facetum dictum cuiusdam.

Prouerbium est apud Sueuos, si natalis dies sancti Ioannis Baptistæ serenus fuerit, magnum nucum auellanarum futurum esse prouentum. Quòd cum exacto anno accidisset, dicerentq; aliqui multas auelanas illo

anno prouenturas. Respondit unus, ideo cunas caras esse futuras. Quæsitus uerò de causa: dixit, multas puellas fieri grauidas, quoniam adolescentes simul atq; adolescentulas rusticas pro nucibus legendis in syluas commeaturos, atq; coituros sciret.

De quodam Abbate.

Quidam Abbas canus, cum duas puellulas prætereijsset, atq; an eis panem mutuare deberet (sic enim coitum circumloqui solent nostri) interrogaret: festiuißimè una illarū, satis inquit, mucidi panis domi habemus, uolens eius caniciē atq; impotentiā declarare.

De quodem aucupe.

Quidam auceps Zwifaldensis cū aucupio intentus esset, atq; orare simul instituisset, cœpit dicere, Pater noster qui es in cœlis, & cum res non successisset ex sententia, imprecatus est epilepsiam & sacros ignes. Atq; iterum in oratione progressus, Sanctificetur nomen tuum, mox turbatis rebus, dixit, Dij superi & inferi malè uelint. Progressus ultrà. Fiat uoluntas tua sicut in cœlo & in terra, mox incommoda prospiciens, ad solitas imprecationes regreditur, atq; orando simul & maledicendo multum diei consumpsit.

De uetula compatiente Iudæis.

Cum paßione domini in die parasceues prædicaretur, quædam uetula exeundo templum, compatiebatur Iudæis dicens, O bone Deus, quàm multa inquie-

tudine affecti sunt Iudæi, qui cum Christo totam noctem uigilare sunt coacti.

De rixosa muliere.

Habebat quidam iurgiosam inprimis mulierem, adeò ut siue ex caupona rediret, siue laboraret, aut comederet, maledictis ab ea impeteretur, & quicquid tentauit, semper ei mulier maledixit, atq; quantò eam frequentius uerberauerat, tantò contumeliosior reddebatur, magisq; iurgebat. Cum autem uerbera nihil profecissent, alia uia aggrediendum putauit, atq; quotiescunq; ipsa ei maledicebat, nihil mouebatur, sed cōtinuò tibia cuius erat indoctißimus canebat. Quod cū fecisset, ipsa acrius maledicere cœpit. Illo uerò persistente in proposito, ipsa præ ira saltare cœpit, quo pergente, ipsa ex manibus eius tibiam excußit, qui cum nihilominùs resumpta tibia sine commotione caneret, mulier indignantißima domū exiuit, asserens se posthac non perpessuram nequitiam uiri, & temulentiam illam intollerabilem. Et cum postera die cū solita maledictione rediret, uir ad solitum cantum reuersus est. Quare mulier se uictam ostendēs, imprecationibus abstinuit, beneuolentißimamq; se futuram uiro pollicita est, modò tibiam seponeret. Memorabile exemplū, pertinaciam muliebrem uarijs artibus frangendam esse.

De quodam mendico ueniente ad Fridericum Cæsarem.

Cum

Cum Fridericus tertius Rom. Imperator conuentum principum haberet Norinbergæ, uenit quidam mendicus ad aulam, petens intromitti, quia frater Cæsaris esset. Et cum sæpius instaret, tandem res deuenit ad Cæsarem, qui rei admiratione motus, iußit intrare mendicum, atq; unde frater suus esset interrogauit, Respondit mendicus, omnes esse mortales inter se fratres è primo parente Adamo, atq; ut se pro ista fraternitate donaret petiuit. Cæsar, cui procacitas illius parum grata fuit, homini tantum cruciferum dedit. Cui mendicus, non decet inuictißime Cæsar, ut fratri tuo tam paruum munus des, cum tu tam diues sis. Vade, inquit imperator, & si quilibet fratrum tuorum tantum tibi dederit, eris meipso ditior.

De alio mendico.

Alius quidam ab altero Saxoniæ Duce petiuit denarium propter cognationem qua inuicem sibi essent deuincti. Quæsiuit Dux, unde illa cognatio intercederet? Respondit ille, ab Adam nostro omnium parente. Huic dux: uade, inquit, si enim talibus cognatis omnibus & singulis denarium uellem dare, nec ducatus, nec patrimonium meum sufficeret.

De decepto quodam Theologo.

Fuit Moguntiæ egregius Theologus, cui pastoralis cura ibidem incumbebat, illi confitebatur quidam satis ut uidebatur religiose, atq; grandem auri massam

ut credebatur à se inuentam ostendit, asserens se quia uerum dominum nesciret, cum consilio eius alicuius templi fabricæ destinare. Annuit Theologus, atq; massam ad pios usus tradendam accepit. Tandem conquestus est ille aduenam se esse ex Saxonia, neq; uiati cum habere, donec ad patriam quæ longinqua esset ueniret, petiuitq; à Theologo mutuo sibi dari decem aureos, quos bona fide restituere pollicebatur. Consensit bonus pater, atq; illo cum aureis ab se dimisso, confestim aurificem adiuit, fabricæq; congratulando massam ostendit, qua probata repertum fuit plumbum deauratum, commentumq; impostoris cum gemitu boni patris detectum.

De quadam ebria muliere.

Fuit quædam uetula, quæ quotidie inebriebatur, eratq; uinosißima. Quam rem cum liberi atq; amici ægerrimè tulissent, sæpeq; illam ab ea turpitudine deterrere conati essent, proponendo iram Dei, æternam damnationem, perpetuosq; inferorum ignes, nec resipiscere uellet, semel cum resupinam ac mentis inopem præ temulentia inuenissent, communicato inter se consilio, circum illam undiq; ignitos carbones congesserunt. Cumq; uetula experrecta circumquaque ignem uidisset, credebat se infernis ignibus circumseptam: nihilominus tamen consuetudine bibendi delectata, nō est uspiam, inquit, aliqua misera anima, quæ suum denarium

narium (uti loquuntur nostri) mecum pro symbolo faciendo adijcere uelit?

De quodam rufo.

Habebat Moguntiæ quidam causidicus omnino rufus filium, quem secum ducebat, albis crinibus conspicuum. Et cum quæreretur ab eo, cur cum ipse rufus esset, filius albos haberet crines? Non miremini inquit, podice enim non capite eum feci seu generaui.

De quodam histrione.

Quidam Histrio in Saxonia cum præteriret cuiusdam oppidi patibulum, uidissetq; hominem paulò ante suspensum, optimis tibialibus, quæ nostri caligas appellant, indutum, rerum egestate uictus, surripere conatus est tibialia. Cum uerò præ tumore pedum amouere non posset, abscidit pedes, atq; cum tibialibus in domum rustici, apud quem pernoctauit, portauit, in hybernaculo dormiens: ibi quidam rusticus noctu uitulum recenter æditum ad euitandum frigus imposuit. Histrio solutis tibialibus & pedibus in hybernaculo dimißis, summo mane priusquam homines surgerent abiuit. Rusticus cum tandem surgeret, atq; cum uitulo non nisi pedes inueniret, quem recessus histrionis latebat, uenit in eam suspicionem, quòd uitulus illum ad pedes usq; deuorasset, quare cōmunicata re cum uicinis uitulus igni adiudicatus est: si enim hoc recens natus perpetrasset, multò horribi-

liora timebant ab eo, si diutius esset superuicturus, Alij saniori testimonio dicunt, tanto terrore omnes paganos fuisse affectos, ut primum armati in domum, ex qua nunc paterfamiliâs cum tota familia diffugerat, ad exanimandum pecus irrumpere conarentur: & quia nemo omnium primus ingredi erat ausus, communi consilio domum incendio absumpserunt, consultius iudicantes domum conflagrari, quàm homines periclitari.

De rustica merdante.

Quædam rustica cum post arborem in campis merdaret, atq; eques quidam nobilis eam conspexisset, ueritusq; ne se uidente pudore afficeretur, dixit, progredere bona domina in opere tuo, quare nemo carere potest, Respondit rustica, quæ se iam exonerauerat, ego eare nunc bene carere possum, tu, si placet, accipias tecum sine indignatione.

De rustico merdante.

Quidam sacerdos in uilla Malmsheim cum rusticũ merdantem uideret, & interpellaret eum, quid huc merdas? inquit rusticus, quid ad te? non enim quisquam cacare potest, quin tu nasum tuum imponere uelis.

Faceta responsio cuiusdam mulieris.

Quidam Comes in sueuia potens atq; notißimus cum semel in uenatione esset, obuiam habuit rusticam

super

super equa insedentem, atq; alta uoce clamantem, cui dixit, unde tibi tantum gaudium ô bona matrona, credo te hac nocte sponsam fuisse, quod ex leticia tua auguror. Quærente autem rustica, an ex ea re leticia & gaudium eueniret? Annuit Comes, sit tua ergo, inquit illa, mihi ô bone socie (Comitem enim non nouerat) equam meam, ut lætior fiat celeriusq; procedat. Cui Comes effuse ridendo, dixit, benè mihi respondisti, uale in pace.

Monachi cuiusdam iocosum factũ.

Quidam frater cascarius, cum in mendicatione in domo rustici pernoctasset, atq; in cœnaculo super stramine dormire cogeretur ob egestatem rustici, & rusticus propter frigus, ut supra dixi, uitulum recens natum non procul ab illo collocasset, apparuit fratri in somnio, uitulum se peperisse: atq; experrectus, cum uitulum uidisset, credidit se illum peperisse, quare magno timore perculsus, quidq; inceptaret nescius, tandem uitulum in puteum quendam proiecit, atq; properè aufugit. Rusticus re comperta, primores illius accessit, atq; damni dati hominem accusauit: frater uerò ad solutionem coactus, omnium fabula factus est. Res est gesta, ut mihi relatum est.

De pannoso quodam.

Dum quidam diues rigentis hyemis tempore, melota & uillosis uestibus indutus frigeret, obuiumq; haberet

beret hominem pannosum atq; uilibus uestibus indutum, lætum ac nullum frigus causantem, dicitur interrogasse, cur tam pannosus non frigeret, uti ipse optimè uestitus? Respondit ille, quia uniuersas uestes meas mecum habeo: tu pro eò quòd non omnes habes tecum, aliarum desiderio & spe friges. Inde etiam hoc prouerbium dicitur, homo friget pro qualitate uel multitudine uestium.

De testamento cuiusdam.

Quidam infirmus cum rogaretur à sacerdote, ut testamentum faceret, Respondit, libenter. sed nihil habeo nisi duos caballos egregios, quos legare uolo principibus terræ. Sacerdos indignatus quòd sibi non relinqueret, quærit cur non pauperibus det? Respondit ille, ex sermonibus uestris id facio, dum Christi imitatores esse debeamus, Deus enim bona mundi principibus non pauperibus dedit: illum ego sequar, cuius actio nostra debet esse instructio.

HEN. BEBELIVS IVSTINgen. ad æquum Lectorem.

Si uetustatem indagamus, candide Lector, inueniemus tam Græcos, quàm Latinos iocis et salibus delectari consuetos, atq; præsertim Atticos, qui facetijs lepidis omniumq; morum uenustate præstiterunt omnibus gentibus, ut etiam omnia urbana, Attici

sales

sales Atticaq́; Venus dicerentur. Reperimus. n. philosophorum Socraticorum iocis illis libros esse refertos. Item multa facetè dicta à sene Catone uiro grauissimo in librum collecta. Comperimus insuper Tironem libertum Ciceronis, de sui patroni iocis librum ædidisse. Tum quoq; legimus, quòd Siculi & Rhodij & Bizantij (teste Cicerone) atq; præter cæteros Attici in eo genere potißimùm excelluere. Quare & ego tantorum uirorum atq; authorum exemplo ductus, cumq́; alij plures uiri, eruditione & prudentia morumq́; probitate insignes, me cohortati sint, hasce facetias qualescunq́; conscribere aggressus sum: nam cuilibet sapienti uel humaniori eidemq́; negocioso, non admodum incommodas esse iudico, sed maximè necessarias, si utriusq́; hominis sanitate uelit senescere, ut animum grauißimis cogitationibus rebusq́; serijs fatigatum huiuscemodi facetiarum atq; fabularum hilaritate quadam tanquam pabulo recreare & refocillare studeat. Si autem aliqui forsan fuerint, qui minus elegans & uulgare dicendi genus in his facetijs reprehenderint, ijs respondeo, fastidiosum esse eleganter difficulterq́; scribere lusus & iocos, cum scilicet omnia ibi hilaritati & amœnitati, non serio seruire debeant. Cum etiam multa de rebus ecclesiasticis atq; sacerdotibus scripserim, non potest fieri, ut in nouis illorum ritibus cæremoniarumq́; uocabulis quisquam satis propriè, et ueterum authorum more loquatur,

tur. Atq; huius gratia (nisi ut signate, & significanter iocum denotarem, quatenus fieri potuit, neglexi elegantiam atq; exornationem. Quis enim cum delectatione & iucunditate legat quæ non facile intelligat? aut quis tales res magno cum labore inuestiget? Cæterum, etsi moderamen statueram in facetijs, ut abstinerem ab his iocis qui nimium lasciuè spurceq; dici uiderentur, attamen hactenus paulò iucundiora interdum inserui, et quæ imperitis ac superciliosis (qui plus probè loquuntur quàm uiuunt) uidebuntur quandam præ se ferre lasciuiam: nihil proinde etiam nunc recepi, quod non à grauibus uiris in conuiuijs recitari audiui, & maiori ex parte apud matronas, quæ res me mouit, ut & nostris confabulationibus adiungerem. Velis ergo mi lector, hanc mihi dare ueniam, quam sumpsi ex autoritate grauissimorum hominum: à spurcis enim atq; obscœnis scriptis calamum meum, quoad fieri potest, retraham.

FACETIARVM BEBELIANARVM Liber tertius.

De quodã in tempestate deprehenso.

CVM quidam in lacu Acronio tempore maximæ tempestatis deprehensi essent, omnibus alijs trepidantibus, quibusdamq; confitentibus sibi inuicem, unus eorum cœpit auidissime comedere caseum & panem. Alijs uero eum castigantibus, atq; quo in periculo essent admonentibus, dixit, non me latet quid rerum geratur: sed quoniam ieiunus bibere non possum, nunc comedo quod sim hodie plus bibiturus, quam unquam fecerim in uita mea.

De duobus in adulterio deprehensis uera historia.

Quidam Tubingensis cũ ad uxorem alterius clam noctu accessisset, uenit & sacerdos ad eandem paulo post: quem ille fugiens, ad superiorem partem domus in columbarium se occultauit. Sed cum non longo tempore post uenisset maritus illius mulieris, sacerdos in fornacem confugit. Cumq; maritus nihil tale suspicatus, cum suspirio dixisset, tres se aureos ludo perdidisse, inquit uxor, quis tibi reddet? Cui maritus, qui supra nos est, intelligens Deum. Tum Tubingensis e colum-

bario prosiliens, dixit, sacerdos in fornace dat mediam partē, & ego relinquā dabo, credens in se maritū fuisse locutū. Et res ita inter eos conuênit, illæsiq; abierūt.

De quodam Eremitano fideiussionem morituro præstante.

Ioannes Apius mihi notus, cū in peste iam in mortis fere agone laboraret, affuit ei quidam frater Eremitanus: qui cū ægrotum admoneret, uti uiriliter pugnaret contra insidias diaboli, bonusq; Christianus in finē usq; perseueraret. Respondit Apius, nemini dubium esse, quin legitime certare uellet, ut Christianum deceret, seq; mori paratissimum. Cui frater, quoniam te honestum & fortem in uita fuisse ab omnibus prædicari audio, & nunc paratum uoluntati diuinæ obsequi, promitto tibi & fideiussor esse uolo, te cōfestim post mortem ad cœlos ascensurum, atq; sic moritur Apius. Frater autem quarto die postea eodem morbo correptus, diu noctuq; clamauit, O Api, tu uis me ad uos afferre, ut tibi testimoniū præbeam. O miserandā fideiussionē, quàm Deus uellet nunquā fuisse factam. Atq; istam suā fideiussionē ad finē usq; uitæ semper uociferādo & eiulādo detestatus est: obijtq; sexto die post illū. Hinc inde docemur, omnia priusquā aliquid stauerimus uel promiserimus, deliberāda esse, sæpe enim nos facti pœnitet

Ex fauore beneficia conferuntur.

Sum superius non iniuria conquestus officia & beneficia

neficia ecclesiastica maiori ex parte indoctißimis obuenire, & obtineri gratijs apostolicis, non sine scandalo publico, periculoq; animarum non mediocri. Nunc possum iustißimè lamentari idem fieri apud nostros principes: apud quos plus conferuntur beneficia fauore quàm meritis, plus suffragijs indoctorum amicorum quàm morum, eruditionisq; pensitatione, adeò ut nulla ferè habeatur hodie ratio doctrinæ & eruditionis. Quòd ideo nũc dico. Fuit nuper interrogatus uir eruditus, qua ratione id fieret, ut tot indies asini beneficijs prouiderentur, & ipse nullum cõsequi posset? Respõdit, indoctos inuenire posse sui similes principes & alios patronos, unde amor mutuus nasceretur, se autẽ sui similes nullos tales: seq; uelle dediscere incipere, an fauorẽ (quo omnia g. rũtur) consequi aliquãdo poßit.

De sacerdote Schellenberger Munderchingæ.

Ille sacerdos de quo superius etiam scripsi, denunciauit quibusdam sanctimonialibus, earum sacerdotem qui erat in thermis ferinis grauiter ægrotare, adeò ut medici de eius salute desperauerint. Accinxerũt igitur se itineri quædam ex eis primariæ ad eum uisitandum atq; consolandum. Sed cum uenissent ad locum, inuenerunt eum incolumen & sanum: unde exacerbatæ sacerdotem mendacij arguerunt, seq; dolorum & anxietatum, quibus essent non mediocriter conflictatæ,

memores futuras. Quibus ille cachino effuso respondit, O bonæ sororculæ, debebatis scire nullam hic uerbis meis fidem adhiberi.

De Molitore.

Ioannes Boscius sacerdos Stadianus, cũ molitorem mendicantẽ suis subditis cõmendaret, pro impertienda ei misericordia, dixit, O Christi fideles, quòd iste molitor probus sit, habetis optimum argumentum, quòd mendicat, alioqui furto & solitis molitorum artibus se nutrisset: proinde sit uobis commendatus inprimis.

De confessione uirginis Vestalis.

Monialis confitendo sacerdoti, dixit inter cætera, cucullo alieno se aliquando contexisse. Cui sacerdos, hoc nihil nocet: sed quid latuit sub illo? Respondit illa, monachus. Tunc sacerdos, caue posthac, inquit, ab istis uestibus, ne polluaris: omnium enim scelerũ sordes hoc paruo tegmine absconduntur. Ad hæc monialis: Aethyops non denigrat Aethyopem. Sacerdos illi succensus, maneas ergo meretrix ut antè, dixit. Cui iterum monialis, sed tu noli primũm in me proijcere lapidem.

De confessione trium uirginum Vestalium.

Tres uirgines Vestales confitebantur cuidam sacerdoti. Prima dixit, alienum in uaginam suam cultellum imposuisse, quod sacerdos nõ intellexit, nec etiam pensitauit, ob huiusmodi quarundam mulierculaum super-

superstitiones, quæ res minimas pro peccato habent. Altera dixit, duos se cultellos imposuisse suæ uaginæ quòd iterum neglexit. Tertia uerò tres confessa est. Cui sacerdos, quid hoc nocet? Dixit illa, trium uirorum se congressu usam. Quod cum sacerdos iam primùm intelligeret, priores duas, quas insciùs absoluerat, celerrimè insequitur, atq; acclamans dixit, audite meretrices pessimæ, non estis absolutæ, malè enim narrastis: quoniam penis & cultellus non sunt idem.

De sacerdote loripede.

Sacerdotem quendam loripedem senaculum oppidi Cantharopolis intrantem, alius sacerdos salutauit his uerbis saluete (ut mos est loquendi nostris) iunior domine. Cum autem incessisset is claudicans, ut solebat semper, erupit quidam præfectus pagitotus cachingo, benè uideo, inquit, illum iuniorem esse uel potius infantem, cum iam primùm incessum discat. Cui sacerdos festiuiter, sapientem te putassem ob caniciem, nisi sermo te prodidisset stultum & dicaculum, Non dissimiliter Ioannes Bittel sacerdos Riedlingensis, in mulierem claudicantem nuper me præsente cauillatus est, si mihi, inquit, essent centum filij, nullum eorum incedere docerem quemadmodum illa mulier incedit. Præterea nostri in claudos ita iocari solent, illi non est hic patria, quia non ambulat more hic consueto. Similiter in strabones, hic est alienigena, non uidet enim ut homines hic terrarum solent. Est autem nostris nunc cre-

berrimè in prouerbio, ut dicant alium contemnentes, ille eſt claudus ſarctor, uel dum aliquis credit ſe contemni, dicit, putáſne me claudum ſarctorem.

De ſuperbo adoleſcente.

Quidam adoleſcens gloriæ cupidus, conuenit cum ſeruo, ut de quacunq; re apud amicam loqueretur, ſemper ipſe ſeruus rem exaggeraret: & quum eſſet cum puella, diceretq; de cenſibus ſuis, ſemper ſeruus triplicauit. Cum uerò alio tempore iterum conuenirent amicam, & ipſa diceret, uideris mihi ô amatiſſime paululum infirmus: hoc color non integer atq; inſolitus prodit, Dixit ille, ſe pallidulum parumq; infirmum. Ad hoc ſeruus, meritò es pallidiſſimus, quotidiana enim & incurabili ualetudine laboras. Hoc dominus ægrè tulit, ſeruumq; remotis arbitris acerbiſſimè caſtigauit, quòd ea apud amicam de eo diceret. Tum ille ſeruus dixit, ita enim fieri debere exiſtimaui, ut quicquid tu diceres, egò copioſius & augerem & confirmarem.

De quodam fulmine territo.

Quidam in ſolio balnei ſedens cum tonitrua maximè tonarent, dixit, O uos fulmina quid tumultus incipitis, ite mihi in podicem. Quòd cum uix edixiſſet, uenit fulmen prope eum ſine læſione, quòferè conſternatus, quòd malè habeas, inquit, Deus, non ſcis iocum intelligere, ego enim ioco non ſerio dixi.

De

De rustico in Derendinga Deo necem imprecante.

Cum grandine magna ex parte uuæ perijssent, dixit quidam in cœtu rusticorum, sagarum id esse maleficium. Ad quod omnes uno ore. O pereant morte pessima. Natu autem inter eos maximus, dixit, opus potius esse Dei. Ad quod alius prosiliens è medio pereat & ipse, inquit, atq; interficiatur.

De quodam carnifice qui sacerdos factus est.

Quidam carnifex à natione Francus, uenit in Boëmiã, ibiq; inter hæreticos factus est sacerdos. Interrogatus uerò aliquando ab eo cui notus erat, quomodo id fieret, ut ex tã sordido & turpi opificio esset nũc sacerdotio iniciatus? Respõdit qualis populus talis sacerdos.

Ebrij cuiusdam dictum iocosum.

Quidam homo facetus, cum diuersis uini generibus se ingurgitasset, ita ut diutius contineri non posset: dixit astantibus sodalibus ad uina bibita, inite inter uos concordiam, aut ego uos è fenestra præcipitabo.

De rusticis & lupo.

Rustici lupum uiuum cœperunt, & quia infestissimi sunt illis, adeò ut uel in mortuos sæuiant, deliberauerunt de exquisitissimo supplicij genere, prosilijt unus in medium, cui duæ erant uxores, illiq; has duas uxores dandas suasit, quòd iureiurãdo nullum maius sup-

plicium sciret, nec crederet etiam posse excogitari.

Fabula Brassicani.

Calceolarius quidam, cum uxorem suam fortasse adulteram olfecisset, nundinas se petiturum simulans, omneis calceos et perones in fasciculum (ut solent) colligauit. Qui cum abijsset, non procul à pago ponè sacellum quoddam fascem abiecit à tergo atq; dissoluit, calceosq; in sacellum tutò reponens, in pannum quo calceos detulerat saxa inuoluit, & clàm domum suam intrauit. Interea uxor maritum abesse existimans, sacerdotem uocat ad se, ne solā domi pauida diuersaretur. Cum uero is paululum cunctatus ædes intrasset, ac primum gradum scalarum uno pede conscendisset, mulier in supremo gradu obuia, eum cur tam serus ueniret increpuit? Respōdit sacerdos, hordea se in agro seminasse. Cui illa ubertatem deprecans, ait, sublatis uestibus umbilico tenus, faxit Deus, non rariora uobis hordea in agro succrescāt, quàm sint pili rimulæ meæ quā uides. At ille in imis scalis nudato & quidem lōgo pene respondit, nec minoris spicas facias succrescere quàm sit hæc mea quam uides claua. Quod cum hæc uir sub tegulis latitans audisset, saxa in eos præcipitans, non minore grandine, inquit, hunc hordeorum agrum, quā sint hæc mea saxa, deus depopuletur & deuastet.

De confessione cuiusdam.

Confessus est nuper quidam simplex homo, ego do

me reum in omnibus peccatis, quæ peccaui à natiuitate Christi hunc usq; diem. Cui sacerdos, habes ne tot annos ô fili? Ad hoc rusticus, etiam, cum & frater sit mihi tribus annis senior.

De Medico.

Medicus uenit ad quendam principem, seq́; omnis medicinæ artificem esse egregium pollicetur. Cui princeps iocatus, non recipio aliquem, inquit, nisi triginta homines prius occiderit. Ad hoc medicus, non longè abest, nam uiginti nouem benè nunc tumulaui. Tum Princeps, non es ergo mihi idoneus medicus, timeo enim me trigesimum futurum.

De confeſſione cuiuſdam nobilis.

Nobilis quidam uolens confiteri, uersauit in manu aureum nummum, quo sacerdotem donare uoluit. Hoc cum uidisset unus sacerdotum auidus pecuniæ accessit hominem, atq; an confiteri uelit? interrogat. Annuit ille. Quem cum sacerdos post confeßionem interrogaret, an pœniteret eum peccatorum, uelletq́; abstinere in posterum à peccatis, quantum humana fragilitas concederet, ut fit, recusauit nobilis obstinatè, atq; ita sine absolutione dimissus. Venit autē alius sacerdos, quem non minor auri sitis preßit, et nobilis confeßionem audiuit: sed cum nec pœnitentem, nec in futurum abstinere uolentem comperisset, nihilominus tamen ut aureum acquireret, hominem absoluit in ea forma, Dominus noster Iesus Christus te absoluat, si uult, & dimittat

 mittat

mittat tibi peccata tua, quod ego non credo, & perducat te ad uitam æternam, quod est impoßibile, atq; ita à nobili latinitatis ignaro aureum extorsit.

De Veneto equite.

Venetus insuetus ac nescius equitare, cum accommodatum equum calcaribus urgeret, equus cœpit recalcitare exiliendo, unde ille perterritus dixit, O sancte Deus, tempestas est non tam in mari quam terra: credidit enim fluctibus & procellis equum agitari non secus ac naues in mari.

De duobus fatuis.

Erant prope Zwifaldam monasterium duo fratres germani parum sapientes, qui semel confitentes, cum unus eorum absolutus esset à sacerdote, nec interrogatus an sciret orare: cum alter confiteretur, quæsiuit sacerdos, scis orationem dominicam? Illo nesciente, inquit sacerdos, prohibeo tibi sacram communionem, quoniam nescis orare. Ad quod ille, tamen frater meus à te absolutus etiam nescit. Quare sacerdos commotus, dixit ad alterum fratrem, prohibeo & tibi corpus dominicum. Vnde ille indignabundus exiuit delubrum atq; omnibus hominibus conquestus est, quòd frater suus impius nomine Alexius, cum quo minus corpus dominicum sumpsisset, impediuisset, dicens, si tantummodo expectasset donec sumpsissem, ex hoc enim credebat se fœlicem fuisse, si uel indignè accepisset.

Contra

Contra osores eloquentiæ faceta elusio.

Eram nuper in conuiuio quodam paganorum sacerdotum, non procul ab alpibus patrijs, ubi unus eorum omnia sibi arrogans, me ei ignotum honorificè salutauit, atq; ut eius uerbis barbaris, quoniam elegantibus non studuisset, parcerem rogauit. Ego apparatum istum ut missum faceret efflagitaui. Tandem ille hilarior factus ob Bacchi uirtutem, qui paulum ei iam mentem & rationem sepeliuerat, ut disputando suam eruditionem ostentaret: reuerentiæ est oblitus, quam exhibere solent ignotis humaniores & intelligentes, atq; in hæc mox uerba prorupit. Domine Poëta, amplißima nunc est fama tua per Germaniam, sed ego non possum probare studium tuum, quòd plus discis benè loqui & dicere, quàm benè uiuere. Ad quod ego subridens, licet pudore perfusus, non puto, dixi, me negligere ea quæ ad benè beateq; uiuendum pertinent. Hic ille mihi, sed relinque nunc eloquentiam secularem, & simplicitatem sermonis Apostolorum capesse. Huic ego, sermo splendidus & ornatus non facit me peiorem, nec barbarus meliorem: testis est mihi Augustinus omnium Christianorum doctißimus in pluribus locis. Sed audi bone sacerdos, non argutè & disertè loqui, sed malè uiuere, mors est: imperitè uerò & barbarè loqui sub specie religionis, atq; etiam malè uiuere, uti plurimi solent, plus est quàm mors

dicenda,

dicenda, & pessima mortium, eorum enim uita, omnium perniciosissima est reipublicæ Christianæ, qui uerbis simplices sunt & casti, factis autem reprobi, incesti ac Sardanapali. Quódq; Apostolorum more locutionem tuam defendis, non accipio hanc in te excusationem: si enim illorum sermonem imitari uis, imitare & illorum uirtutes uitæq; sanctimoniam. Cæterum ridiculum est, ut delicatè & luxuriosè uiuens, de sola rusticitate ac sermonis imperitia se iactet quasi ideo sanctus sit, quia nihil scierit. Atq; tandem dicebam, ut aliquando concludam, quomodo fit, quòd tu & tui similes perplurimi, tantopere insectemini eloquentiam & eiusdem studiosos? & quum ipsi uultis habere orationem (quàm non immeritò collationem uulgò appellatis, quasi non uestro artificio, sed ex multorum libris et labore parum ornatè, sed indoctè compilatam) omnibus uiribus ingenij totisq; conatibus ad hoc aspiratis, ut habeamini eloquentes, ut eleganter et uenustè persuasisse prædicemini, ut quadret in uos Cypriani martyris dictum, ut sitis in publico accusatores, in occultò rei, iu uos metipsos censores pariter & nocẽtes: damnatis intus, quod foris operamini. Sed benè est, latinè ac eruditè loqui nescitis, quum nunquam didiceritis, uestra spe frustrati omnino.

De doctore.

Cum Palatino Rheni equitauit ad uenationem causa honoris quidam Doctor, ab illo obseruatus, qui cum

calca-

calcaribus omnino careret, dixit Princeps, Domine Doctor ubi sunt calcaria tua? Qui cũ uidisset se carere, credebam inquit, ô princeps, mihi famulũ ea induisse.

Quæ omne malum pariant.

Cum quondam in conuiuio de Reipub. pernicie disputaremus, quæ scilicet rempublicam perturbarent, respondit quidam, Hæ quinq; res maximè exitiabiles sunt: falsus iudex in consistorio, fraudulentus mercator in foro, sacerdos auarus in templo, pulchrum scortum in prostibulo, & in aulis principum adulatio.

De insigni mendacio.

Faber clauicularius, quem superius fabrum mendaciorum dixi, narrauit se semel tempore belli, credens suos subsecuturos, equitando ad cuiusdam oppidi portas penetrasse: & cum ad portas uenisset, catarrabactam turre demissam, equum suum post ephippium discidisse, dimidiatumq; reliquisse, atq; se media parte equi ad forum usq; oppidi equitasse, & cædem non modicam peregisse. Sed cum retrocedere uellet, multitudine hostium obrutus, tum demum equum cecidisse, seq; captum fuisse.

De alio mendacio.

Alter cum in sylua uenationi indulgeret, uidit aprum syluestrem senio confectum, & cæcum ab alio iuniori duci, cauda illius ore arrepta. Quòd cum uidisset, intensa balista dixit se iuniorem excaudasse,

(ut ita loquar) à corporeq́; caudam penitus diuulsisse, ut illa cæco in ore manserit: quam ipse postea arripuerit, atq; cæcum plus quàm uiginti millia passuum usq; ad forum Stutgardianum duxerit.

Quæ nobis fugienda sint.

Tria nobis maximè fugienda ueniunt, medicus indoctus, cibus non coctus, uel bis coctus, & malus hospes, addunt & alij prauam mulierem.

De æadituo fabula.

Erat æadituus cui nomen fuerat Omnis mundus, qui seruierat monialibus quibusdam: & cum semel prurigine carnis uexaretur, accepit arundinem, atq; illa per caminum horribili uoce denunciauit instar spiritus. O uos moniales audite uerbum domini. Sorores autem exterritæ non respondebant quicquam æadituo. Postridiana nocte reueniente atq; idem dicente, procidebant in facies suas sorores, angelum de cœlo esse ratæ. Resumptis tandem animis surrexerunt atq; cantauerunt. O angele Dei, dic nobis uoluntatem domini. Tunc æadituus rursus ex arundine cantitauit, hæc est uoluntas domini, ut omnis mundus rem ueneream uobiscum exerceat. Auditis uerò his fluctuabant quid esset, angelum enim ob id non credebant, quòd eis ille non annunciaret, ut omnibus hominibus sese prostituerent. Tandem matura deliberatione concilioq́; habito, exposuerunt mentem angeli; ita quòd æadituus dictus nomine

Omnis mundus, earum inclinatione & concubitu frueretur, an uspiam (ut augurabantur) episcopus uel summus pontifex nascendus ueniret. Conuocatoque; aedituo atq; in conclaui seruato, accessit primum uirgo maxima, quae cum uoci obediens angeli, indulgentiam accepisset (ut ita loquar) exeundo cecinit. Laetata sum in his quae dicta sunt mihi. Accessit posthac quae secundum dignitatis gradum obtinebat, ut ordo conditionum requirebat, quae exeundo atq; percepta indulgentia, iucunda uoce depromebat canticum hoc, Te deum laudamus. Tertia autem exiens, psallebat, Laetabitur iustus in domino. Quarta uerò cantabat, Gaudeamus omnes, Aedituus tandem consumptis atq; fractis uiribus, dirupto conclaui exijt, horribiliterq; ululauit, Mihi autem nimis &c. quem caeterae reuocando inclamauerunt, & quis nos indulgentiarum participes faciet?

Facetia reuerendi domini Georgij Abbatis Zwifaldensis.

Sacerdos quidam rusticis suis supplices preces & supplicationes circum agros frugiferos fieri solitas, non tamen ab ecclesia institutas, dissuasit. Et cum grando ingruisset illo anno, sacerdos anno postero dixit, hoc iterum die supplicationes suo consilio non habendas: nec prius ideo grandinem incubuisse, sed opus fuisse Dei & naturae, dicens in haec uerba, Wir wöllen Got vertrawen. *Cui rusticus aliquis assurgens,*

nos

nos uolumus, inquit Deo confidere, sed supplicatum ibimus, Ibi æditu us parũ edoctus, ad sedandũ sacerdotẽ dixit, Laßt es anhin gehn wie es doch geht.

De uino adulterato.

Ioannes Bittel conuiua meus Zwifaldæ, cum ei uinum minus probum & integrum apposuisset caupo Martinus, dixit, segrega mihi uinum & aquam, & quodlibet seorsum appone. Intelligens uinum nimis adulteratum. Idem caupone dicente, uinum esse Rhenense, benè dicis, inquit, est enim Rheno lotum, nauitq; per Rhenum, uolens nimis esse dilutum & aquatum.

De eodem.

Quidam in diuersorio à puellula aquam petiuit ut uinum commisceret, quò uis eius reprimeretur. Dixit puella ignara, non opus est: pater hesterna nocte totam hydriam infudit.

De eodem.

Quum alius caupo noctu in cellam uinariam magnam aquam anhelans portaret, uidebat qui cum eo diuersabatur, atq; ignem esse tumultuariè denunciauit, quo homines ad illum sedãdum excitaret. Cui hospes, cur ita clamas? Credebam inquit ille, ignem esse in cellario, cum te ita aqua oneres, illucq; crebrò incursites.

De eo qui in uitrum piscicu-los infundebat.

Cis Smichum flumen patriæ meæ uilla est, referens nomen illius amnis, ibi erat quidam caupo suspectus etiam, quòd uinum suum aquatum duceret. Vnde quidam moti, clàm ei ignoranti in œnophorum seu uasculum quo is uinum afferebat, pisciculos imposuerunt. Et cum uitro uinum infunderet, inuenit caupo & uidet pisciculos, atq; ad conuiuas conuersus dixit, fateor profectò ingenuè, nimium aquæ infudi uasis uinarijs, alioqui enim pisces non fuissent innati.

De mirabili baptismo cuiusdam sacerdotis.

Sacerdos uolens baptisare puerũ, inuenit inter cætera in libro, salta per tria, hoc est, id quod dicendũ est inuenies post tertiũ foliũ: Quapropter non intelligens, saltauit circa baptisteriũ. Ad hoc rustici, domine, quid hîc facis? nos nunquam uidimus hactenus ita baptisare. Bene est, dixit sacerdos, reliqui uerba nõ intellexerũt. Postea legens, immerge intus, credebat merdandum in baptisterium: atq; remotis arbitris merdauit in illud. Quod rusticus per rimas portarũ uidẽs, dixit ad sacerdotẽ, diabolus baptisare faciat suos pueros in isto baptismo, ego non faciam, atq; puerũ sine baptismo abduxit.

De rustico qui Christi personam agebat in spectaculo.

Rusticus in quodam spectaculo Christum crucifixum agens, cum à Iudæis male percussus esset, abiecta

cruce, diabolus, inquit, sit posthac uester Deus, ego nũquam ero. Sed cum semel pistor ageret, Iudæi illum probosis dehonestabant uerbis. Quod cum pacienter pertulisset, dixit alius ad eum fur farinæ. Ad quod pistor, tace aut ego te cruce in terrã prosternam. Veritas enim non patitur iocum, nec homines conscij sibi libenter audiunt cum ueritate secum iocari.

De fatuo ducis Austriæ & Heluetijs.

Cum Leopoldus dux Austriæ (qui est postmodum ab Heluetijs interfectus) de intranda Heluetiorũ terra in oppido Stockach (quod ægrè munitum, nostris temporibus fortiter pertulit uim maximam Heluetiorum) deliberaret cum suis purpuratis & primoribus de inuadenda hostili terra: habebat & in delitijs morionem, quem interrogabat quo modo placerent sibi res suæ. Malè inquit fatuus: omnes enim deliberatis de ingressu, sed nemo de exitu. Erat autem propheticum fatui dictum. Stultius uerò Heluetij postea cum interfecto agebant: cum enim apud eos esset sepultus, apud moniales Regij campi, quot annis in eius aniuersario sinebant sacerdotem ita ad plebem concionari, Orate propter Deum pro duce Leopoldo duce Austriæ, à suis, propter sua, & in suo patrimonio trucidato. Vnde eorum flagitium & iniustum factum non obscurè declarauerunt. Atq; exinde docemur, omnibus in rebus finem esse præmeditandum, quòd etiam uulgò dicitur, Ehe wigs denn wags.

De sim-

De simplici rustica ægrotante.

Apud Vindelicos, quos ego nunc Almagauios *uoco, dum rustica ægrotans ab alpibus in suam parœciã pro sacra eucharistia misisset, & interim priusquàm sacerdos ueniret conualuisset: uenit sacerdos, quapropter absens illa quæsita est, & apud uicinum quendam reperta.* Quæ *uisa sacerdote, exclamauit è fenestra uicini, potes benè abire pater bone:* Deus *sit benedictus non est mihi nunc opus* Christo, *conualui enim.* Sacerdos *autem ne frustrà tantum itineris confecisset, studuit eam ad sumptionem* Eucharistiæ *inducere.* Cui *mulier, quantum debeo tibi si sumpsero?* Denarium Bohemicum *respondit presbyter.* Cui *iterum rustica, cõstituas eam super mensam obiter, & si casu aliquis pauper homo opus habebit ea, ille emet.*

De rustico qui coactus accepit sacramentum.

Ego noui sacerdotem, qui ferè ad quinq; millia passuum cogebatur bis accedere quendam rusticum, ut eũ sacramentis prouideret, & semper interea dũ ipse ueniret, rusticus conualescebat, recusabatq; sacramenta. Tandem *sacerdos tædio itineris percitus, dixit ad infirmũ, cõualescas quandocũq; uolueris: per* Deũ *oportet te sumere* Eucharistiam, *atq; ita coactus suscepit.*

De Simia.

Quidam doctor medicus Mediolani *ægrotabat,*

ita ut de eius salute esset desperatum. Quòd famuli eius & famulæ considerantes, quòd quilibet potuit ad se diripuit. Hoc autem simia uidens quæ apud dominum erat (ut est imitatrix omnium rerum) accepto capitio quo insigni doctores utuntur, induit capiti: unde dominus in risum est effusus, atq; conualuit.

De prædonibus pulchra altercatio.

Apud ueteres Germanos, & præsertim Sueuos (ut refert Iulius Cæsar) prædari nobilibus non erat dedecori: qua unica re plus quàm ulla alia barbariē ostentabant, cum uario alioqui uirtutum genere fuerint conspicui. Nunc uerò gratia Dei præsertim nostra Sueuia purgata est à latronibus et prædonibus. Est tamen hodie prouincia Germaniæ, ubi etiam nunc nobiles citra infamiam uolunt esse prædones. In ea prouincialis est orta inter duos natalibus insignes: quorum unus alterum furem criminabatur, quòd ei non indicto bello gregem armentorum abegisset: alter iniuriam reuocauit in animum, seq; nihil alienum à probis moribus maiorum fecisse testatur. Res deuenit ad arbitrū principem quendam: ibi uterq; sua cognatione frequenti, amicitia atq; clientela, præstò fuit. Surrexit prior furti criminatus, atq; apud arbitrum summa instantia pro restitutione famæ laborat, ac alterum ad reuocationem deposcit, quòd nihil fecerit, nisi quòd licitum fuerit semper in patria sua, à maioribus suis in hunc usq; diem habitum, quodq; nulli unquam in eadem causa irro-

ſa irrogata fuerit infamia: atq; in teſtes citat omnes qui affuerunt frequentiſsimi, ita eſſe acceptum à patribus ſuis, ut nunquam infame aut criminoſum habitum ſit, dum aliquis adiuuerit ſocium uel amicum, dummodo legitimè bellum induxerit, contra quemcunq; quòd expreſsius ipſi dicunt, dum aliquis ſocio contra inimicum militanti ſeruierit. Alter autem ita factum ſuum tuebatur, quòd iſtum furem accuſauerit, non ſe iniuria feciſſe, ut is fur iurè habeatur, qui altero inuito & neſcienti, & quòd improbius habeatur apud legum peritos, per uim res ſuas auferat nullo bello indicto, aut ut ipſi dicunt, fama ſua non conſeruata uel cuſtodita per indictionem belli. Tandem poſt longas contentiones, tale ego audiui fuiſſe principis arbitrium ſeu ſententiam, Neutrum ſe infamen uelle declarare, atq; utrunq; benè dixiſſe. Primo enim more & inſtituto ueterum & maiorum licuiſſe facere quod fecerit, nec ſibijpſi licere infringere penitus quòd maioribus placuiſſet. Nec ſecundum malè dixiſſe, quòd in taliter repertum poſsit iure optimo, & quidem Cæſareo, ultimo ſupplicio animaduerti.

De alio nobili.

Alius cum uideret legationem Venetorum ad Maximilianum tam ſplendidè & magnificè quoddam oppidum præterire, dixit, O quàm turpiter refrixit nunc omnis maiorum noſtrorum uirtus & fortitudo in nobilibus noſtris, quod hi Veneti tot rebus precioſis &

equis phaleratis per patriam nostram tutò ambulare debeant: an meis temporibus tam securè inceßissent? Idem propterea quòd filij sui cessarent à bellis & prædationibus, dixit esse homines nauci, nulliusq; bonæ frugis, ego enim, inquit, priusquàm in iuuentute mea omnino ab istis rebus abstinuissem, indixissem uel alicui abbati bellum.

Cur Franci Christianißimi dicantur pulchra irrisio.

Quum liceat historico, imò eius officium sit, res gestas scribere cum ueritate, etiamsi odiosæ sint, non putaui iocosis rebus nõ conuenire, res uerè gestas (dum iocus insit) in medium afferre. Quòd ideo nunc dicendum existimaui. Scripsi ante aliquot dies Regem & Cæsarem Romanorum, & eundem Germanum, iurè dicendum Christianißimum, non regem Franciæ, uel solum: quòd cum quidam legisset Burgundus, conuenit me Aquisgrani, studiumq; meum in patriam laudauit, sed pace tua liceat dixisse, optime hospes, inquit, non Germani nostri, sed Franci sunt hodie Christianißimi. Ego uerò rugata fronte refragabar. Tum ille, ne contristeris, dixit, sinasq; tecũ in re uera iocari: ob id enim nostris Christianißimi uidentur, quòd & his sancti & Christiani diui in Brabantia & Holandia militẽt. Causam sciscitanti, hãc ait uerißimã historiã tuis superioribus Germanis et Sueuis apporta. Dũ nuper anno Domi

ni 1507

ni 1507. Francigenæ magnus numerus cataphractorum duce Comite Armburgen. suppetias tulissent Duci Geldrensi contra Cæsarem Maximilianum & Burgundiones nostros, incursionibusq; & prædationibus terram nostram inuasissent, diripuerunt magnam prædam ex agris & sacris templis. Sed dum redire uellent in Franciam, magna pars eorum non procul à Naumurco, à rusticis Brabantinis est intercepta miserabiliterq; trucidata, adeò ut rustici summa gloria, magnáq; & copiosißima præda onusti, triumphantes domum redierint, & inter equos phaleratos, loricas deauratas, torques aureos, cæteramq; prædam præciosam, rederta sunt duo uasa uinaria calicibus, alijsq; uasis sacris plena, quæ abstulerunt hincinde fanis sacratißimis in Brabantia & Hollandia. Vnde ego dixi, inquit, diuos & sanctos illis militare uel potius stipendiarios esse, beneq; Cicero antiquitus dixit, tantum Gallos contra deos pugnare, quantum alij pro Dijs consueuerunt. Cui ego, benè est, acceperunt enim eandem mercedem, quam sui maiores cum olim Delphos inuaserunt. Franci tamen possunt dicere & meritò, fuisse, & nunc esse in terra Francia fures & latrones: atq; illos non Francos, sed latrones fuisse.

Qui sint insignes fatui.

Fidelis amator puellarum, probus lusor, & misericors miles, nimium stulti dicuntur.

Facetum dictum Christophori Comitis Werdenburgen.

Apud moniales Sanctæ crucis, Iudæus baptisatus, qui se medicum gerebat, cuidam, quem è pedibus laborantem curare debebat, clàm fugiẽs, equũ furatus est. Quem festiuißimè irridendo Comes Christophorus dixit restitutũ esse pedibus, propterea quòd non amplius equo sed pedibus ire cogeretur, dum alioqui illi dicantur apud nos restituti pedibus qui ex ualetudine aliqua surrexerunt, ireq; iam possunt. Ille aũt nõ erat curatus pedibus, sed illis ire cogebatur, quòd nũc equo careret.

De simplicibus rusticis & cancro.

Rustici Mundingensis (de quibus superius mentionem feci) dum fortè in eorum solo cancrum inuenissent (nescio unde illuc quòd terra ibi fluminibus careat delatum) quoniam retrogradus esset, nesciuerunt quale animal esset, conuocatáq; per campanam tumultum significantem uniuersa communitate, diu inter se consultarunt quid esset. Tandem sarcinatorem, qui olim artificij discendi gratia terras alienas peragrauerat, consuluerunt, qui sua opinione admirabundus, ceruum aut columbam esse dicebat, Sed cum minus satisfaceret. neq; quisquam propius accedere auderet: admotis à longè tormentis, animal confecerunt, locumq; illum latißimè uallis & stipitibus circumuallarunt, ne aliquis hominum aut pecorum eius contagione inficeretur.

De Comite Roberto.

Dicebatur olim Robertum Comitem Armburgensem hostem se pronunciasse uniuerso mundo, præterquàm Deo & regi Franciæ. Ad quòd unus, cui ille notus erat, è uestigio respondit, nescio de deo, iusticiæ tamen & æquitati iam diu omniū iudicio bellū indixit.

De præposito Elwangensi.

Præpositus Elwangensis familiæ Rechbergen. cum olim à studio Ticinensi abire uellet, misit ad magistratum illic ducatum pro scientia quam auferret, iussitq; ita dicere, se hunc plus ex beneuolentia, & ut magnificè abiret, quàm merito dare: se enim non tantum scientiæ asportare, imò ultra dimidium iusti precij deceptum esse, testatus est, si iurè esset conuentus.

De uera nobilitate.

Testatus sum in alio opere uanam esse & falsam eorum Germanorum ambitionem, qui suam nobilitatem ad Romanos referunt, quoniam nulla est in toto orbe syncerior & clarior nobilitas, quàm apud ipsos Germanos, nec fuit ab antiquissimis temporibus usq; in hunc diem, ut alibi latius & luculentissimè probaui. Quòd propterea nunc dico. Fuit non longè à temporibus nostris quædam cōtrouersia inter principem quendam & doctorem Norinbergensem. Princeps iactando suam nobilitatem, dixit se esse de sanguine Troianorum & Romanorum. Cui doctor respondit, ego sum de

sanguine Norinbergensiũ: qui quales sint, satis notũ est. Troiani uerò q fuerint, & qualibus moribus, est ignotũ: sed constat Aeneã Troianũ fuisse proditorẽ, Romulũq; latronẽ, qui fuère authores Romanæ propaginis.

De indulgentijs.

Indulgentiæ apostolicæ & quidem plenariæ (ut ita dicam) ita paßim nostris temporibus uenduntur, ut loqui mos est rusticis, quòd iam penè uilescat clauium & literarum apostolicarum authoritas. Quamobrem nuper quidam frater ordinis Minorũ Coloniæ Agrippinæ, ita de illis concionatus est. Audite ô uos fideles animæ, ego uobis aliquid noui dicam, & rem mirandam: hanc uidelicet, quòd si nunc aliquis uestrum habuerit medium aureum, habebit & regnum cœlorum per has indulgentias, si quis uerò quartam partem aurei habuerit, habebit & partem eiusdem regni, qui autem nihil habuerit, erit diaboli. Nònne res noua, quod sine pecunijs non sit locus fœlicitati? male nobiscum agitur qui sumus minores reformati.

Facetum dictum aduersus Romam.

Dicunt nostri, si quis primò Romam proficiscatur, uisurum nequam: si secundò profectus fuerit, cogniturũ nequam: tertiò rediturum nequam & impostorem.

De ambitione Sacerdotum & Episcoporum.

Abbas Fuldensis triginta equis armatis, & ipse loricatus,

ricatus, cum Vlmam intraret unà cum cardinale Bernhardino, dixit cardinalis. O domine Abbás, an tot equis & quidem instructis sanctus Benedictus ordinis uestri autor equitauerit? Cui abbas, O reuerendißime pater, an cardinales sancti petri tot mulabus phaleratis, sellis deauratis, frenisq́; sericeis, & tanto tamq́; splendido apparatu, cæterisq́; id genus luxuriæ incesserint? Vnde mutua talione statum ecclesiasticū à sanctitate & frugalitate ad corruptos mores summamq́; luxuriam prolapsum esse declarauerunt.

Facetum cuiusdem Francigenæ.

Quidam Francigena (ut est genus hominum fallax & uersutum) in ciuitate Ticino à quodam ciue centum aureos mutuo accepit, oppignorando ei aureum torquem: atq; illius uxorem accedens, dixit, hos accipe centum atq; unam noctem uoluntati meæ obsequaris. Mulier prædæ dulcedine capta, (cum sit nummus optimum expugnandæ pudicitiæ instrumentum (consensit. Francus postridie expleta libidine uirum accessit, suum torquem exegit, quoniam aureos omnes uxori illius reddiderit, quæ conuenta non potuit negare, frustraq́; Franco fuis obsequiosa.

De Argentinensibus.

Argentinenses miserunt oratores suos ad Henricum septimum Imperatorem Rom. pro obedientia priuilegijsq́; suis confirmandis, dicentes ad Imperatorem,

torem, Domini nostri Argentinenses &c. Sed cum tertia dicerent, repulsi sunt. Tandem admoniti ab aliquo, deinceps uenerunt ad illum, dicentes, ciues & subditi tui, ô Cæsar, Argentinens. &c. Tunc Cæsar admisit eos, dicens, nesciebam qui essent isti domini, sed ciues & subditos nostros Argentinenses benè noscimus.

De sacerdote.

Quidam sacerdos in peruersos subditorum mores sermocinatus, tandem enumeratis eorũ sceleribus dixit, Fideiussor esse uolò, uos omnes esse diaboli mancipia. Cui rusticus aliorũ præfectus, benè est, inqt, quoniã fideiusseris, nunquam te fideiußione tua liberabimus.

De puella deuirginata.

Puella cõfitens suam se uirginitatem prophanasse, acerbißimè multisq; uerbis à sacerdote castigatur, atq; quot & quantis uirgines in cœlis coronentur coronis edocetur. Cũ autem tam nobile, firmum, & preciosum castrum seramq; pudicitiæ sua culpa apertam accusaretur: tandem tædio affecta correctionis, dixit, non tam firmam seram fuisse uti ipse affirmaret, quã quilibet rusticus sui pagi aperire posset, atq; aperuisset.

Cur pulices plus mulieres quàm uiros infestent.

Sutor quidam in insula Reichenaw facetiarum egregius artifex, dixit ad nobiles matronas, quæ causa esset cur pulices plus mulieres infestarent quam uiros?

Illis autem ignorantibus, atq; enixè illam scire cupientibus, tandem promißis uictus, dixit: quoniam postquã cibo essent exsaturati, etiam flumẽ & aquam haberẽt apud illas, quibus & sitim extinguerent. Tum dixit una illarum, se nunquam sensisse illos ibi aquatum ire. Ad hoc ille, hoc ideo est, inquit, quia non turmatim accedunt, alludens ad amplitudinem fluminis.

Qui sint nimium audaces.

Qui dominum suum circa solennia diui Martini nõ timuerint, quando scilicet tributa apud nos exolui cõsueuerunt: item qui lupum in Ianuario, rusticum in diebus bachanaliorum, & sacerdotem in ieiunio, quãdo confitendum est, illi nimium audaces sunt.

De Iudæo & Christiano.

Iudæus iocatus cum quodam Christiano, percußit illum in maxillam, atq; ut alteram præberet ex euangelica doctrina admonuit. Christianus uerò eum ad terram postrauit, multisq; uerberibus affecit. Cui Iudæus dixit, hoc non facis ex Euangelio. Ad hoc Christianus, ego feci ex glossa. Proh, ait Iudæus, glossa uestra, ut uideo multo durior est quàm textus, & difficilior etiam quàm legislator ipse docuerit.

De quodam ægrotante.

Quidam in Ridlinga cis Danubium ægrotabat, & à sorore Beguina multis uerbis admonitus, ut diuinis sacramentis prouideretur, semper repugnauit, timens

mens se eò citius moriturum. Quòd cum sensisset soror, dixit, uanam & ineptam esse eius opinionem, quoniam deus hominem quocunq; in loco atq; conditione esset, facile inueniret. Tandem persuasit hominem, ut diceret se uelle confiteri. Vnde soror lætata, illicò sacerdotem accesßit, ut fratrem suum sacramentis prouisurus maturaret. Interea dum sacerdos accelerat, occultauit se infirmus post fascem stramineum, ita ut nemo eum inuenire posset. Et cum sacerdos abijsset, prosilijt infirmus rursus in medium, atq; sororem mendacij accusans dixit, ho ho he, dixisti quòd Deus poßit hominem ubiq; locorum inuenire, & ego delitui tantum post stramina, sed non potuit me unà cum sacerdote & alijs hominibus inuenire.

De quodam Abbate.

Quidam Abbas, quū cellarius è uiuis excesßisset, dixit ad fratres suos, quem ego eligā ex numero isto stultorum, Cui unus ex grege, nonne Abbatem antè inuenimus ex istis stultis? intelligens & Abbatem esse fatuū.

De quodam suspensuro.

Quædam sororculæ Beguinæ, cum hominem furcis addictum pro consolatione accederent, interrogatæ ab illo quæ essent, filias se Dei esse responderunt. Tum dixit ille, accedite precor propius, & consumemus matrimonium (lasciuis tamen uerbis) cum tam diuitem socerum habeamus.

Cuiusdam

Cuiusdam terribile factum

Quidam faber ahenarius Basileæ suspensus erat, & alius nescius rei cum ad forum Basiliense intempesta nocte maturaret, & nimia festinatione clausas adhuc portas suspicaretur, cœpit sub arbore non procul à patibulo quietem. Non autem multò pòst tempore uenerunt alij, & ipsi ad forum properantes: qui patibulum intuentes atq; suspensum cognoscentes, illum inclamauerunt, si uellet ut secum ad forum iret. Quibus uerbis ille excitatus (quem dixi primum quietem cœpisse sub arbore) acclamabat, expectate ô boni socij ego ueniam, Vnde illi mortuum loqui existimantes, adeò extimuerunt, ut celerrima fuga penè exanimarentur. Ille uerò semper sequutus, manete, inquit, rogo, ego uobiscum ibo. & quanto plus clamauit sequutusq; est, tanto magis illi festinarunt: adeò, ut semianimes tandem ante portas urbis reperirentur, atq; nõ nisi longo demum tempore sanitatem pristinam ex lõga consternatione receperunt,

De quodam confitente se uirginem Vestalem cognouisse.

Quidam confessus est uirginem Vestalem se cognouisse. A cuius infando amore sacerdos illum dehortari conatus, dixit, Vestales uirgines esse mortuas mũdo, & soli Deo esse sacras, seruireq; debere. Ad quòd ille, non est ita, inquit, pater bone: illum enim sic sese exagitasse; ut uiuenti simillima fuerit, nec solius esse

Dei, quippe quæ profestis ad minus diebus etiam hominum seruitio manciparentur.

De Monacho.

Monachus quidam ex ordine mendicantium, cum uenisset ad Argẽtoratũ ab externis regionibus, essetq; præfectus alijs, & Prior, cœpit ex monasterio publice alere meretricem: in eius enim forsan patria lasciuius monastici uiri uiuebant. Quòd cæteri ægre ferentes, quòd inde quæstui suo detraheretur, publicam alere eum prohibuerunt, dixit ille, deberem ego esse Prior, & non exercere rem ueneream? non faciam, atq; direpta non modica pecunia abijt.

Quare indoctis meliora beneficia conferantur.

Cũ nuper in conuiuio quidã esset conquestus quòd pinguiora beneficia indoctis conferantur, nec uspiam locus sit literatis, Respondit alter, non incongruè: nam & uilioribus asinis & pusillis maxima onera imponuntur, egregijs uerò caballis leuißimi adolescentes, ne premantur à grauioribus.

De quodam mercatore.

Quidam Francofurdiæ ferrum empturus, dixit ad uenditorem, se nihil cuiquam debere, neq; quicquam hactenus nisi prompta pecunia emisse: nunc tamen se petere, ut ille sibi ferrum ad aliquem terminum, ut dicitur, & præscriptum diem uenderet. Cui uenditor, ego nihil tibi, inquit, sine parata pecunia dabo: propterea

pterea quòd aut nullam fidem habeas, quoniam mercatores non semper pecuniam habent, aut quòd nihil sis hactenus mercatus; aut tam diues es ut non opus habeas aliquo termino; proinde non expectabo.

De quodam Doctore.

Doctus quidam homo, & mihi notißimus, de cuius gestis plura dicenda essent quàm ullius alterius, propterea quòd præter cætera incredibilia & infinita, in Carthusiam, cui addixisset se, miro ingenio meretricẽ olim, etiã uirginem Vestalem, clàm introduxerit, diuq; apud se retinuerit, miro artificio subter mensam occultatã: sed quã tandem ex nidore cuiusdam animalis aßi prodiderit, eam potißimum ob causam, quòd uenisset iam in magnam suspicionem, quòd omnia esculenta & poculenta ad fundum usq; semper exhaurire consueuerit, cũ qua tandem expulsus est, multaq; regna perlustrauit, Is inquam doctor, cum admoneretur à quodam uiro egregio, ne tã apertè mentiretur, quod inde eius famæ, eruditioni, fideiq; non modicum detraheretur. Non faciam, inquit: nam ad minus quinq; annis cogerer frustrà uerum dicere, antequam diluerem mendaciorũ maculã iam diu contractam. In his annis malò liber esse in loquendo, nescio enim quàm diu uiuam, quòd si breui mors mihi incumberet, frustrà fuissem seruus ueritatis.

De astutia mulierum.

Quædam mulier dilexit iuuenem, quem cum con-

gruè conuenire non posset, nec auderet alloqui, hac calliditate usa est. Confitebatur monacho cuidã, cui iuuenis uicinus erat, ita, Habes pater bone uicinũ iuuenem nominando eum, qui frequenter oberrat ædes meas, meq; cupidè inspiciẽdo infamiam, ut timere licet, mihi afferet: cui rogo suadeas, ut istos suos gressus moderetur, per hoc enim sperabat, monachum suis istis uerbis iuuenem primùm incitaturum ad sui amorem Monachus autem benè pollicitus est, atq; rem egit cum iuuene, qui nihil sibi conscius, intellexit mulieris technas, non tamen prosequitur rem. Mulier secundò cingulum aliaq; ornamenta muliebria ex auro comparat, atq; monachum accedit, conquerendo de rebus sibi à iuuene condonatis, atq; ut illi res suas restituat, rogat. Frater cum summa acerbitate & castigatione defert iuueni res suas, ut credebat. Nec longè pòst cum maritus mulieris peregrè esset profectus, rursum conuenit monachum, dicitq; iuuenem per arborem propinquam domui suæ pridiè noctu in cubile suum ascendisse. Vnde monachus magis exasperatus, dedit iuueni modũ, quo tandem ad mulierem perueniret, seq; ignarus gessit copulatorem illorum amoris.

De sacerdote plures liberos habẽte.

Cum sacellani in oppido Blawbeuren apud parochum conuiuarentur, essetq; mensa multis crateribus argenteis ornata, cœperunt alter alterius paupertatem exprobare. Præsertim unus pauperculum quendam

dam sacerdotem, cur & ipse non tot crateras haberet? interrogauit. Cui ille ira excandescens, si mihi tot essent, inquit, crateres quod liberi, haberem nunc octo, atq; ita ueritatem incautus prodidit.

Cuiusdam sacerdotis D. Martino insulsum dictum.

Concionabatur quidā sacerdos de meritis diui Martini, quomodo media hyeme in summo frigore tunicam suam disciderit, atq; cuidā medico impertiuerit, Christum dixisse ad illum: domine Martine, si huius ego tibi beneficij obliuiscar, auferat me diabolus ad inferos.

Alterius sacerdotis dictum ineptū.

Alius quidam concionatus est, dū Adam primū recusaret de pomo edere, Euam cū indignatione dixisse, comedas de pomo hoc, aut ego à te in turpißimum aliquod lupanar intrabo, cum adhuc nullū in terra esset.

De sacerdote qui beneficiū recusauit.

Vdalricus comes Vuirtenberg. principis nostri auus, cum quidam rusticanus sacerdos in alpibus nostris uenatores eius egregiè tractaret, uoluit adhuc illi aliud beneficium conferre, cum prius haberet parœciam. Recusauit sacerdos (quòd rarò fit) dicens, pro his bonis consumendis, quæ nunc haberet in suo sacerdotio, cogi sese ad medium noctis usq; sæpe sedere, quòd si denuò aliud habiturus esset dies noctesq; uigilandum esse, ut omnia consumeret.

Quod plura in paßione Domini mentita sint quàm uera.

Nuper quidem callidè delusit rusticos, dicens, multò plura in paßione Christi mentita quàm uera. Quòd rustici ægrè acceperunt, illumq́; tormentis ad reuocationem reducere statuerunt, donec eorum stultitiam deludendo dixerit: benè dixi ô fratres, pauca enim Christus loquitur, sed uera: multa uerò Iudæi & quidem mendacißima.

Vera historia de simplici rustico.

Quidam simplex rusticus senio confectus, in alpibus nostris Sueuicis, non longè a patria mea, cũ mandatum domini nostri ducis Vuirtenbergensis quadam simplicitate atq; incuria neglexisset, conuenit eum præfectus pagi sui, & carcerem ei pœnamq́; nõ mediocrem minitatur. Cui rusticus, O Ioannes dilecte consanguinee, facias secũdum diuinã uoluntatem tuã, sed sis mihi propicius quæso, si enim prudentior essem, minus egissem.

Cuiusdam nobilis facetum dictum in monachos.

Eram nuper cum Mathia de Hochneck, nobili inprimis faceto, in monasterio quodam, ubi erant fratres satis imperiti: quorum perspecta ruditate, quæsiuit nobilis à me, quibus quæso medijs aut artibus defensuri sunt, si opus fuerit, isti monachi fidem Christianam? Ego professus me nescire, Ad quod ille, O te imperitum, qui

enim

enim alij potando meliores? Vt enim alij disputationibus: ita illi compotationibus aduersarios dementarent, atq; conuincerent uniuersos.

Cuiusdam senatoris sententia admodum iocosa.

Senatus Vrachensis piscabatur pro publica leticia instruenda, & cum post piscationem ante cœnam aliquid incidisset, quo consilium habere opus erat, cum quilibet suam sententiam dixisset, erat inter eos unus qui inter consultantum obdormiuerat: & cum rogatus esset sententiam, dixit euigilans, Partim elixos esse debere, partim assos, intelligens de piscibus, somno enim impeditus, quæ res tractaretur omnino erat oblitus, Quæ eius sententia longè lateq; diffusa est.

De fratribus Bernæ combustis.

Fuerunt pridem anno domini millesimo quingentesimo nono Bernæ quidam fratres Prædicatores, ob quædam inaudita flagitia igne concremati, qui inter cæteras ineptias, quibus imponere hominibus conabantur, finxerunt uni ex his beatam uirginem crebrò noctu apparere, atq; rudibus eius quæstiunculis multis uerbis respondere. Quòd ego cum legissem, dicere sæpe consueui, iocando in eorum fatua figmenta, si eorum commentum uerum fuisset, diuam uirginem mihi capulari uetulæ magis ociosam loquacioremq; uideri; quæ tot fratrum ineptijs quotidiè responderit. Am-

bitionem enim & superstitionem sub specie religionis grassantem, reipub. Christianæ minari summam iacturam, possum non obscurè intelligere, quòd istis artibus sit prius per scribas & phariseos Iudæorum respublica subuersa atq; labefacta. Sed cui ordini mortaliũ desunt mali? bonos fratres nõ insector, sed de malis loquor. Ad tantum autem facinus (si uerum est quod publicè scribitur atq; diuulgatur) impulit eos sola illa pertinax, & nulli mortaliũ scibilis opinio, quòd beata uirgo sit cõcepta in peccato originali: quã falsis et prodigiosis miraculis, sed dijs aduersis, cõuincere et probare sunt conati

De rustico & medico.

Rusticus quidam simplex cum urina accessit medicum, à quo quæsitus unde esset, dixit, domine doctor, tu in urina benè inuenies.

De rustico ægrotante.

Rusticus cum ei uxor omnesq; liberi pestilentia grassante obijssent, cœpit & ipse ægrotare: cumq; sacram eucharistiam summere rogaretur, renuit, quòd ex ea (ut ipse dixit) uxor & omnes liberi mortem manducassent, atq; ab ea ad Deum se appellaturum testatur.

Simplicis cuiusdam Clerici dictum satis ineptum.

Quidam indoctus Clericus Constantiæ fuit quæsitus ab his qui examinatores dicuntur, an esset de legitimo thoro? Credebat illos inquirere natale solum atq;

respondit, non sum de legitimo thoro, sed de Smicha ita enim uocabatur natalis eius pagus.

De asino imperitorumq; iudicio.

Quũ nemo fœliciter & benè poßit iudicare de artibus, nisi soli artifices, nemini dubium erit, quin illorum sit iudicium omnino explodẽdum, uiolentum rude atq; mendax, qui iudicare uolunt de poëtica, musica, atq; alijs artibus, quarũ omnino sunt expertes atq; ignari. Ita cõtigit asino, qui sibi iudicis partes arrogauit inter philomelam & cuculũ, quæ de cantu decertabant utra earũ præstaret: sententiam enim ferens, ita dixit, cuculus lõgè mihi excellere uidetur: illius enim cantus est planus et intelligibilis, uniusq; tenoris: sed philomela nescio quid cantitas, nũc enim uocem attollis acuteq; canis, nunc presse atq; grauiter, nunc media uoce, adeò ut nõ facile pateat auditoribus quò tendat cantus tuus.

Querimonia lupi super sua infœlicitate.

Fecit nuper quidam carmen teutonicũ, in quo mirificè atq; uenustè lupum de sua infœlicitate atq; rusticorum in se iniurias & inuidiam, omnium regum iustißimo Maximiliano Cæsari conqueri facit, ad cuius tribunal citaturum se minatur uniuersam rusticitatẽ, ita dicens. O quanta est rerum humanarum iniquitas, ô facinus indignum & superum iudicio uindicandum, ô pereat semen rusticorum, quod inuidißimum genus

mortalium me supremo odio & summa cum iniuria prosequitur. Cum enim iura illa omnibus mortalibus promulgata concedant liberaliter, aliquem posse in necessitate & pro conseruatione sui corporis rapere esculenta et poculenta: id mihi homines illi iniquissimi (beneficium scilicet non tam humanum quàm naturale & diuinum) concedere nolunt, quin imò si tempore summæ famis minimam gallinam uel anserem, aut ad summum uitulum uni eorum rapuero, uel (quòd omnium detestabilissimum uideri debet) cadauer mortui equi excoriare tentauero, tanto in me surgunt canum exercitu, tantoq; clamorum & armorum apparatu in me conficiendum excarnificandumq; concurrunt præcipites, ut nemo unquam atrocius in suos hostes grassari debeat, aut fecisse inueniatur. Sed ô rustici, quæ est uestra cæcitas? quousq; ita delirabitis? qui mihi quod iura tam humana quàm naturalia concedunt, tam diu negatis, dum ut possim subuenire necessitati corporis alicui ex uestris interdum, & id quidem rarò, sum molestus, rapiens uel ouem uel bouem pro sedanda fame. Attamen nec furor, nec ui rapio argentum uel aurum, nec ferrum, siliginem, auenam uel triticum, nec quicquam earum rerum omnium quæ præciosæ habentur apud mortales: sed non nisi esculenta, uinum etiam spernens quantumuis præciosum, tantùm oues, boues, & uniuersa pecora curans, atq; tam singularis in rusticos & benignitatis & clementiæ, ut nisi

ut nisi tempore hyemis uel summæ famis, raro alicui ex rusticis aliquid, quasi decimas mihi iure naturæ à Deo *datæ debitas, diripiam, contentus præda me sylvestrium ditari. Sed audi quantam huic in me inuidiæ stultitiam adiungant, ut poßit* Deus *non iniuria meus ultor existimari, desides sacerdotes, pinguesq́; monachos, summos eorum & capitales inimicos, genibus flexis adorant, summaq́; ueneratione obseruant, qui de eorum labore, sanguine & medulla uiuunt. O pœnam condignam, ô rusticorum meritam infœlicitatem. Me innocentem & eorum exercitatorem odio prosequuntur: illos autem uenerantur, qui ab eis auferunt non solum frumentum, uinum, equos, tauros argentum & aurum, uerum etiam uxores, filias pudicißimas, & uitam deniq; ipsam sæpe deprædantur, quorum uita omnis & luxuries inaudita tantum in sudore & sanguine rusticorum nutritur. O diuinam uindictam, qui tot tanquam paucos intra uiscera, & in sinu uestrarũ filiarum alitis: me uerò nihil tale cogitantem persequimini tantopere. Vnde ego, nisi Cæsar pacem uobis erga me mandauerit, perpetuum uobis bellum indico, quod & posteris uestris nepotes mei facere debebunt.*

De meretrice.

Audiui olim duas mulierculas inter se dißidentes, ubi una ad alteram dicebat, tu es meretrix: Respondit altera, uerum est, sed tu gauderes esse meæ conditionis, quæ scilicet tã deformis es, quòd à nullo rogeris.

De sacerdote concionante.

Concionaturus quidam sacerdos suis rusticis incœpit, salutat uos Lucas medicus, ut sacræ literæ habent, sed post ita obstupuit, ut ne unum quidem uerbũ enunciare potuerit ulterius. Cui ex senioribus unus assurgẽs dixit, habeat gratias, atq; si quãdo ad eum redibis, dicito & ille nostro omnium nomine plurimam salutem.

Principum prærogatiua.

Principes dum sunt ebrij, dicuntur à familiaribus læti, dum sunt nigri, dicuntur fusci: dum stulti, dicuntur probi, simplices & innocentes.

De concionatore Moguntiæ.

Quidam dicitur fuisse concionator Moguntiæ, qui sæpe & acriter inuehebatur in illos qui plura beneficia ecclesiastica haberent. Hoc Canonici beneficiosi (ut ita loquar) ægrè ferentes, contulerunt ei pingue beneficium, ad id quod antè possidebat, ut eius compescerent intempestiuam loquacitatem. Quod ipse accepit, atq; id quod antè dixerat reuocauit, dicens, se antea non benè in ea materia fuisse instructum, neq; eam dulcedinem antè degustasse.

Cur itinerantibus monachis pluat.

Est prouerbium apud nostros, quando monachi peregrè proficiscantur, quòd sint pluuiæ. Huius rei nuper quidam Philosophus Tubingæ causam ridiculè asserebat

ferebat hanc, quia, inquit, rasi multos habent ex uino immodicè hausto uapores in capite, qui facile ex calore à caluitie extrahuntur: unde postea pluuiæ generantur.

De uiatore ebrio.

Vinum Acratophorum apud nos Sueuos eo nomine appellatur, quo niger equus, quo cũ uiator ut uinosus, ita facetus in primis plus iusto se onerasset, ita ut ferre nõ posset, noctu id ex fenestra cubiculi, ubi dormiebat, euomuit. Postridie uenit ad sacerdotem, apud quem diuertebat, dicens, O bone pater, quàm acrem et uehementem habes equum, nam hesterna nocte quodam furore percitus, è fenestra cubiculi præcipitem se dedit.

De sacerdote.

Quidam sacerdos interim dum corpus Christi eleuaret, uidit rusticum in horto suo arbore ascendentem, atq; poma decerpere statuentem, ad quem dixit, ascende in nomine diaboli. Quòd astantes mirabantur, qui non uidentes rusticum ascendentem, putabant sacerdotem in Christum eleuatum hæc dixisse.

Maximiliani Cæsaris elegãs dictũ.

Querebatur unus ex scribis Cæsaris Maximiliani, se infamari famoso carmine uernaculisq; cantionibus, atq; ut id edicto uetaret, rogauit Cæsarem. Non facile id faciemus, inquit Cæsar, ne & ipsi in nos partem carminis transferant. Patere æquo animo,

quòd

quòd & nos aliquando sumus perpeßi. Hæ cantiones ut citò fiunt, ita citò dispereunt, nec tam diu durant, ut aliquando conquestus est apud nos Iudæus quidam, ut carmen hoc, Christus surrexit, quod nunc plus quàm mille & quingentis annis celebratur. Dixit enim Iudæus, qui fit? aut quo sydere infœliciβimo nobis, ut omnes cantiones per annum euanescant, & hoc, q dixi, duret? qui fit insuper? ut homicidia apud uos post annū expientur atq; reconcilientur, & homicidium nostrum quod in Christum commisimus, tot annos maneat inexpiabile, nulloq; nostro incommodo atq; miseria, uel temporum spacio mitigabile reddatur.

De rustico.

Rusticus alpestris apud Heluetios cum ægrotaret, misit ad proximum pagum pro sacerdote, qui eum communione sacra prouideret, atq; cum sacerdos uenisset, conualuit paulum rusticus, dixitq; ad sacerdotē, ualde domum nunc, sinasq; Deum in clauo isto (quem demonstrabat) pendere usq; in crastinum. Cui sacerdos, an corpus Christi tam negligenter & irreuerenter hic custodiam? Ad hoc rusticus, ô bone domine, si etiam ualeret decem aureos, sine cura tua custodiam.

Quæ pro lætitia habeantur apud Germanos.

Si uis esse lætus per unum diem, intra balneum: pòst enim largius bibunt homines, unde lætitia nascitur. Si per

per hebdomadam, minue sanguinem, Si per mensem, interfice porcum, ubi farciminibus & carnibus suillis illi lautius epulantur, Si uero per annum, ducas uxorem, multorum autem opinione, pœnitere emitur citius quàm per annum, ab his qui ducunt uxores.

Quæ nihili ualeant.

Pons Polonicus, monachus Bohemicus, Sueuica monialis, miles Australis, Italorum deuotio, & Alemannorum ieiunia. Hæc omnia fabam ualent.

Item quæ domestica familia inutilis sit.

Hæc familia omniū inutilißima atq; trifiißima prædicatur: gallinæ sine ouis, Porca sine suculis, uacca sine lacte, Filia quæ noctu extra domū diuagatur, Filius lusor, Vxor furtim bona uiri absumēs, et famula pregnās.

Quæ insolenter fiant.

Hæc raro contingere atq; ferè cōtra naturæ cursum esse traduntur ab ociosis. Puella adolescens sine amore, nundinæ sine furibus, antiquus Iudæus sine diuitijs, antiquum horreum sine muribus, antiqua uestis pelicia sine pediculis, antiquus caper sine barba, antiqua monialis sine religione:

De puella impudica.

Erat puella in patria mea non usq; quaq; illæsæ famæ, illa suem à patre in foro Ebingensi emptum domū ducebat: & cū forte per syluam haberet adolescentem comitem,

comitem, qui eã de stupro appellaret, negauit illa primum, sperans illum instantius petiturum, sed tamen in fine nemoris cum uideret illum omnino à petitione destitisse, dixit, Sed ô bone amasie, ut recordar præteritorum uerborum, si tuæ uoluntati morigera essem, quò quæso interim ligaremus suem? Quod postea multis annis mansit apud populares meos in prouerbio.

De alia puella.

Erat alia multo minoris ætatis, quæ confessa est sacerdoti, se cum masculis super fœno fuisse. Ad quòd sacerdos, quid ibi fecisti? Respondit puella cum quadam irrisione, proh, nescis domine, quid faciant adolescentes in fœno puellis.

Qui ui quadam mentiuntur.

Senes & illi qui longinquas regiones peragrauerunt, per uim mentiri dicuntur à uulgo. Nam senex de suis temporibus loquens, non potest carpi, quia nemo iuuenum eo tempore uixit: & alter per uim mentitur quia de regionibus loquitur, in quibus audiẽtes fortasse nunquam fuerunt, uel nunquam nominare audiuerunt.

Tria maximè contraria.

Hæc tria solent contraria & sibijnuicem infesta esse, ut quidam uersificatus est.

Catus cum mure, duo galli simul in æde,
Et glotes binæ, uiuunt rarò sine lite.

Quatuor cupiunt mulieres.

Amari

Amari à pulchris iuuenibus, pollere plurimis filijs, ornari preciosis uestibus, & dominari in domibus.

Contra mendicos.

Scripsi in triumpho meo Venereo *contra mendicos, soleoq; aliquando illudere illis, qui homines improbi, nulliusq; bonæ frugis, sed solo obio dediti, mirificis artibus simplices homines & rusticos imperitos dispoliant.* Et id *facio (testis est scrutator cordiũ deus) nõ ex quadam impietate (quippe qui sum quodam singulari beneficio naturæ mirum in modum ad misericordiam propensus, & ultra facultates, uerè pauperum & afflictarum misereor) sed rerum indignitate motus, quòd uideam eos per omnem iniquitatem & peruersitatem hominum simplicium abuti liberalitate & commiseratione. Illi inquam impostores mendici, cum tam clamosè & suppliciter, atq; quasi quibusdam obtestationibus nomine* Dei *& beatæ uirginis, uel* Valentini, Antonij, *aut aliorum sanctorum extorqueant eleemosynam ab hominibus: cogito quanta est bonitas & æquanimitas* Dei *& sanctorum, quòd illi per eos uiuant, quos nunquam uenerantur.* Ego *enim eos ante sacras ædes, sed intus sub diuinis officijs uix unum aut alterum uidi in decennio. Illos autem cum audio in plateis tam argutè compositeq; canere & boare, soleo dicere ad conuictores meos, ille me multò est lætior nec me mouebit, nam ut* Horatius *dicit.*

Si uis me flere, dolendum est primùm ipsi tibi.

Si

Si uerò sunt nimiũ eloquentes, & diserte cornicantes, soleo dicere eum esse nimis peritum in sua professione artificem, unde auxilio meo non habeat opus.

De quodam Abbate.

Noui abbatem, qui cũ à quodã nobili in cõsessu primorũ Sueuicæ cõfœderationis, de adulterijs & multis fornicationibus esset criminatus, respondit, nonne deberem asinas futuere? Ad quod nobilis, etiam si fecisses, genus tuum accessisses, alludens ad eius imperitiam.

Fabula domini Georgij Abbatis Zwifaldensis.

Quidã erat monachus, qui semper demisso in terram uultu incedebat, postquàm autem abbas esset factus, erecto corpore ibat. Et interrogatus, cur more solito non incederet? Respondit, se prius terram intuendo monasterij claues quæsijsse, nunc illis inuentis non esse opus ulterius inquisitione.

De quodam fratre Minorum.

Erat nobiscum in Conuiuio Tubingæ quidam ex ordine Minorum, is hilarior factus hilari Bacho incitatore, dixit se Verone cum exercitu Cæsaris Maximiliani militare consueuisse, atq; hunc repetere uelle. Ille cum interdum parum castè loqueretur de rebus & militia Veneris, dixi, putabam uos castitatem habere in uotis. Ad quod ille: uerum est, tria uoui, paupertatem in balneo, obedientiam in mensa, & castitatem

tem in altari. Et cõuerſus ad me, dixit, et apud uos qui docti haberi uultis, omni monſtro mõſtroſiora inueniũtur. Theologus eſt uel ebrius, uel libidinoſus, uel auarus. Iuriſperitus, iniquus & iniuſtus. Atq; medicus ualetudinarius, et qui ſe ipſum curuare (ut ipſe dixit pro curare) non poteſt, quòd eorum profeßioni uita omnino non quadret.

De Bohemorum irreligione.

Bohemi in eo ſunt errore, ut nõ cõfeßi laici quotidie ſacrã cõmunionẽ accedãt. Ruſtica aũt anſerẽ in quodã oppidũ uendendũ ſub brachio portãs, primũ eſt tẽplum ingreſſa, atq; cũ ibi tunc ſacra fierent, acceßit et ipſa cum anſere altare, perceptura à ſacerdote hoſtiã: quã anſer illi incautè præripuit, atq; deuorauit, quòd illa flẽdo ſacerdoti cõqueritur. Cui ſacerdos, noli (inqt) flere, dabo tibi aliam, uel aliũ Deum, ut cũ eis loquar.

De Laurentio Valla & fratre quodam Minorum.

Laurentius Valla homo impẽſe doctus, atq; linguæ latinæ inſtaurator, cũ ſemel in templo Minorum Neapolis deambularet, uidit ſanctum Franciſcũ inter quatuor doctores pictum: atq; conuocato aliquo ex fratribus, quo, inquit, pacto ordinis ueſtri princeps et autor, ſcilicet Franciſcus inter quatuor doctores ponitur? cum tamen laicus & ſine literis fuiſſe prædicetur. Cui indignabundus frater, imò & maximus doctorum eſt.

Huic Laurentius, at quomodo maximus? cum semper habitus sit inter minores. Hanc ego historiam sæpe audiui narrare Ioan. Nauclerum Tubingen: collegij, gymnasij, & demum totius orbis decus & ornamentum, omnisq; honestatis & probitatis normam.

Quæ mulier omnibus naturæ dotibus prædita sit.

Ea mulier omnibus dotibus naturæ & forma prædita est, quæ habeat caput ex Praga, ubera ex Austria, uentrem à Gallia, dorsum ex Brabantia, ex Colonia Agrippina alba crura & manus, pedes à Rheno, pudibunda ex Bauaria, & nates ex Sueuia, Et sic perfectè formosa erit, quòd uariæ sint dotes naturæ, uarijs in locis & regionibus.

Ad idem.

Hæc item mulier perfectè formosa erit, quæ habuerit, tria dura, tria mollia, tria breuia, tria longa, tria nigra, tria alba, tria rubra, Dura sunt, duo ubera & podex seu nates: mollia, duæ manus & uenter: breuia nasus & duo pedes: longa, digiti & duo latera, nigra sunt, duo oculi & cunnus: rubra, duæ genæ, & os seu labra: alba, crura & ceruix.

Quatuor peruertunt animi iudiciũ.

Amor, auaritia, odium, ebrietas.

Negligitur quicunq; pecunia caret.

Quũ olim meminerimus in cõfabulatione quadam, quòd

quòd nummi omnia efficerent, nihilq; sine pecunia hominis bona existimatio ualeret: nisi enim quis pecunias habuerit, nec nobilitas, nec scientia, aut ulla uirtus proderit. Subiunxit quidam non dissimiliter, quod dicit Pallades, Aurum aperit omnia, et inferni portas. Tum alius subiecit, se quendam nouisse, qui dixerit, si pater meus carnifex esset, & mater scortum uulgare, nihilominus si habeo nummos, sum gratus, acceptus & honoratus. Itaq; etiam prouerbio dicitur, multa prudentia perit in pauperum crumena: hoc est, pauperes negligi in quibus sæpe multa prudentia est. Quoniam contemptui habetur paupertas, nec exercetur hodie ad res gerendas: atq; nisi quis diues fuerit, nunquam creditur sapiens & intelligens, neq; adhibetur ad res serias & quæ exigunt prudentiam. Ad quod alludit Iuuenalis 7. Satyra, Rara in tenui facundia panno.

Vita uoluptarij & sani.

Vt uiuas sanus, semel in anno minuas sanguinem, semel in mense intres balneum, semel in septimana amplectere Venerem, bis in die comede bibeq;, quietus & benè de nocte dormi,

De quodam fatuo.

Morio quidam instabat apud dominum suũ, ut more Christi fidelium admitteretur ad sumptionem sacræ eucharistiæ. Et cum altare accederet, suppofuit ei sacerdos particulam raphani loco sacramẽti, quã morio

degustans, dixit, O dulcißime Deus quàm es amarus.

De mendicis.

Quidam, dũ in confabulationibus mentio de mendicis esset facta, quàm numerosam haberent prolẽ, dixit, non obscura est causa, quòd plures habeant liberos: nam tutò solent coire, exploratum habentes non se sed nos eorum pueros esse edicaturos. Ipsi enim faciunt, nos autem cogimur eos educare nostra eleemosyna.

De insigni mendacio.

Quidam gloriatus est se lustrasse totã ferè Europã, maximeq; Italiã. Interrogatur de Venetorũ urbe magnificisq; ædificijs. Ad quòd inqt, nõ possum plura dicere de Venetijs, eã enim urbẽ nõ nisi semel sub crepusculo uespertino trãsiui equo. Quod cũ alij impoßibile dicerẽt, qđ urbs mari circũdata, equorũ ingressum et egressum nõ admitteret. Dixi ego, fuisse hyemẽ eo tempore dũ transisset, atq; super glacie eũ equitasse ad urbem.

De quodam studioso anseres furato.

Quidam scholasticus Tubingensis confessus se furatum anseres atq; gallinas, cum sodalibus suis deuorasse. Increpatur à sacerdote, qui ei donec restitueret furtum, absolutionem omnino denegat: quoniam non dimittatur peccatum, nisi restituatur ablatum. Ad hoc scholasticus, ô optime pater, inquit, ego in duplo restitui: ita enim illis me saturaui, ut uix mediam horam retinerem, sed reuomerem simul, atq; cepas pyraq; quibus conditi erant. O utinam, inquit, sacerdos, pulmonẽ

& iecur pariter euomuisses, ut quadruplo reddidisses, atq; indignabundus illum reliquit.

Qui sint præcipui & maximi sancti.

Cum nuper Tubingæ, cuius templi sanctioris tutelares sancti (quos patronos uocant) sunt diuus Georgius & Martinus, mentio facta esset de sanctorum meritis, & sanctimoniæ præstantia: quum alij Ioannem Baptistam, alij diuum Petrum Apostolorum principem, cæteris præstare contenderent. Quæ dementia uos agitat? quidam inquit, qui enim alij sanctiores, meritisq; & honore priores Tubingensibus patronis Georgio & Martino? Nam cum alij sancti pannosi contemptiq; pedibus incedant, hi egregijs caballis equitant, & sumptuosis uestibus induuntur.

Quòd quisq; gloriæ cupidus sit.

Nemo est cui non dulcis honor. Ad hoc dicit Tullius, Omnes laudis studio trahimur, & optimus quisq; maximè gloria ducitur. Et Persius satyra 1.

An erit qui uelle recuset, os populi meruisse?

Facetia Pauli Wůst traducta à Brassicano.

Si cui incognitus sit Paulus Wůst Sueuus ioculator egregius, hac saltem facetia eundem planè quouis quisq; lector agnoscat. Conueniebant quodam uespere tres socij gratia ludi, qui tunc in principatu Vuirtenbergensi uetitus fuerat, apud Tabernarium uallis Ra-

masianae admodum curiosum: cum quo pepigerant, fores ut clauderet, & obducto uecte intromitteret neminem, ne in medio ludo deprehensi, mulctam institutam soluere cogerentur. Quibus tabernarius ille quaestus & lucri auidus, facilè annuit, & cōditionem accepit. Cumq; hi aliquandiu lusissent, uenit Paulus ille ex composito, & fores pulsabat: mussitabāt uerò intus ludentes, quorum techna aderat, atq; simulabant fortasse aliquem adesse, cui ludus illorum suspectus esset, ob id tabernario mandabant ne cuiquam aperiret. Quo autem taciturniores se gerebant intra aedes, tanto ille foris inuam tumultuosius sonoriusq; pedibus & manibus pulsabat. Tandem sociorum unus, uade, inquit, hospes, & quid rerum nouarum tamen calleat exploratо, dum foribus admodum insultet. Hospes, cui rerum nouarum experiundarum libido incesserat, quaesitum ibat: cui ut respondebat Paulus, oua se parere posse, ocyus rem ad socios quos hospitabatur perfert; plurimumq; rogat eum hominem intromitti sinerent, causa hanc rem factu mirificentissimam uidendi & experiundi. Hi ut res ex composito gerebatur, aliquantisper cunctabantur, difficilimosq; se simulabant, quasi istius hominis aduentu grauarentur plurimum. Victi demum assiduis tabernarij supplicibus precibus, sinebāt pulsantem (ne tamen ipsorum ludus proderetur) intromitti, Hospes (ut erat rerum nouarum auidissimus) gestijt, exiluit, cucurrit, repagulum foribus detorsit, aperuit,

peruit, & hominem hunc personatū humaniter excepit, hypocausto induxit, ac ponè fornacem in tenebras more glocitantis gallinæ collocauit, hortabaturq; eundem artis suæ quam iactauerat, periculum ut faceret, adeò moræ impatiēs extiterat hospes. Iussa subit Paulus ille, qui duo oua ad uiuam cutem pectoris sui tam diu fouerat ac gestauerat, ut percaluissent. Cumq; aliquandiu consedisset Paulus, hospitem uocauit, uti ouū supposita manu blandè exciperet. Accurrit hospes, ouū excipit, ostentat id lusoribus, iurat per Deos immortales adhuc incalescere. Hortatur ita Paulum secundò ouum pariat. At ille subdolè retinebatur, bonam, inquit, & minimè uulgarem, gallinam esse oportet, quæ uno die bina oua parere soleat. Nō tamē destitit à precando Morem igitur gessit Paulus hospiti, atq; mox hospitem accersiuit, ouum secundo partu ut exciperet. Affuit hospes, ouum sumpserat in manus, quod æque ac primum calescebat, in medium profert, & rei magnitudinem miris laudibus extollit. Rogauit tandem Paulum per omnes Deos, ut tertiò ouum pariat, pollicens amplius se nil ab eodem exacturum. Responderat Paulus, sibi id factu difficilimum fore, timeo enim, inquit, ipsa ouorum seminaria internè dissolui, & penitus deperire: unde non immodicam iacturam sumerem; inde enim mihi uictus subduceretur. Quanto plus Paulus rem pernegauerat, tanto obnixius hospes eundem precabatur, Tandem Paulus rem illam se ter-

tio tentaturum ait, quocunq; res caderet. Vbi uerò tempus faciendi oleti & aluum soluendi adesset, hospes, inquit, ocyßimè adsis, atq; uitellum excipias, quoniam ouum illud postremum testa caret: adsis ne in pulueres recidat, ac nullius usui eueniat cura. Accurrebat hospes plus æquo credulus, nedum curiosus et ambas manus supponit. At is nõ ouũ, sed solutæ alui purgamenta in manus hospitis profusißimè cacauit, exclamando, eheu ad meam maximam iacturam redegisti me, ouum amplius nullũ parere dabitur: id est, quòd initio uerebar. Cõperta uerò fraude, hospes Paulum, nisi ponè collusores desiluisset, personáq; detraxisset, districto gladio adortus fuisset. Digna historia curioso, unde sibi exẽplũ sumãt quicunq; rerũ nouitatę nimia permouentur.

Tres displicent Deo & hominibus.

Pauper superbus, diues mendax, & senex amator.

Facetia de rustico quem non decebant pulmentaria.

Rusticus quidam seruum habebat, cui cum manè ante opus diurnum (ut hyberno tempore fieri solet) pulmentarium appositum esset, & ille segnius ederet, quasi idem fastidiret. Rusticus his uerbis eundem compellauit, O si Bentzo hoc pulmentarium mihi æque ac tibi congrueret, quàm auidis buccis & faucibus id exederem. Putans id se amplius non decere, quum nix ante triduum in numerum eius pagi iudicum ascitus

fuisset,

fuisset, quasi non nisi ieiunus de agrorum limitibus in paganorum conuenticulis disputare posset, aut qui saltem pulte crassa scilicet inebriari se putabat.

Sequuntur mendacia explosissima Fabri Cantharopolitani.

Quum semel Faber Cantharopolitanus cum nobili suo, cui tunc famulabatur, circa flumen quoddam equitarent, uidit nobilis nassam piscatoriam inter crustas glaciei superne fluitare. Vtinam inquit, nos eā nassam, quæ piscibus plena est, haberemus. Cui faber id factu facile esse respondit. Atq; laxatis frenis in flumen arripiendæ nassæ gratia prosilijt: quem piscis ingenti magnitudine cum equo hiantibus faucibus excepit, ac repente deglutiuit. Cumq; piscator quidam non longo post piscem hunc casu cepisset, ac in mensam lanioniam uenum exposuisset, asciolaq; eūdem exenterasset, exiluit faber equo insidens saluus, reiq; nouitatem nobili recensuit, in qua re sane non est parce mentitus.

Aliud eiusdem Fabri de Apro.

Pertranseunti Fabro quadam tempestate nemus, Aper miræ magnitudinis, ac dentibus lōgitudine unius cubiti prominentibus, uenit obuius: quem cum tunc incursantem pone quercum ueterem effugeret, truculentus Aper Fabri cupidus, dente suo quercum annosam adeo penetrauit, ut ab altera parte quercus dentis acumen emicuit: Quod cum faber uidisset, ut rebus suis

ac saluti consuleret, subitò illi in mentem uenit, districti pugionis capulo dentis aciem, uti solent fabri dum arcularum clauos incuruant, reflectere & retundere, ne cum dentem hinc auelleret, iacturam sumeret: quo solo sibi salutem quæsiuit.

Aliud de Lupo.

Faber ille cum per syluam iuisset, & lupus illi occurrisset hianti rictu, ac si eundem uiuum deglutire uoluisset, ut se redimere posset, cum impetu manu dextra per rictum lupi penetrauit, caudamq; arripuit: ac eundem (ut calcearius calceum) inuertit.

De sacerdote aucupe.

Sacerdos quidam in agros profectus aucupij faciendi gratia, cum uideret ardeam sublime uolitantem, siuit auolare falconem auē, quem manibus gestabat: cūq; falco arrepta ardea ex aëre præcipitaretur, aper, qui tunc aderat, falconem cum ardea patulis faucibus simul deuorauit. Hoc ubi uidisset sacerdos, accurrit & aprū uenabulo transfixit. Cum uerò hunc domi suæ mactare uellet, & apri terga cultro lanionio supernè dissecuisset, falco ardeam adhuc rostro gestans euolauit saluus. Ecce quàm bellè mutuis mendaciorum illecebris, sacerdos ille & faber, nugatores egregij decertant.

Eiusdem nugæ, unde abeant aut redeant Ciconiæ.

Idem

Idem sacerdos cum die quodam à rusticis circumsedentibus in balneis interrogaretur, an ne sibi compertũ esset, quò nam abirent, uel unde redirent ciconiæ? Has nugas subtilissimè commentus: arrigite, inquit, aures, rem memorandam uobis recensebo. Cum olim pater meus scholas triuiales petendi gratia me ad externas gentes ablegasset, ad remotissimam fortè insulam ueni, & cum ibidem literas discẽdo balneas semel intrassem, incolæ qui mihi assederãt, humaniter me salutauerãt. Quos cum interrogassem, unde me externum & alienum agnouissent? Respondit illorum unus, à parentibus uestris, bone domine Ioannes, qui tam de me, quàm gẽtilibus meis benè meriti sunt, optimè uos agnouimus. Cumq; hortarer illũ, quo nam modo à parentibus meis beneficia accepisset? rem ordinẽ depromit. Verno tempore, inquit, dum insula nostra frigoribus riget, transfiguramur in ciconias, & in partes Europæ tunc calescere incipientes auolamus. Vnde ego in culmine ædiũ parentum uestrorum ante annos triginta nidulum surculis & uirgultis effinxi, quibus id temporis tererem, donec brumalis nostræ insulæ rigor desæuiret. Aduentum meum parentibus uestris admodum gratum fuisse semper intellexi, qui nunquam passi sunt nidum nostrum minimo prouocari. Vbi uerò in regione uestra hyems erit, discedimus, & in nostram insulam tunc calidissimam reuersi, aues exuti in formam pristinam demutamur. Quibus nugis rusticanam plebem adeò persuasit,

persuasit, ut quisq; horum ciconias posthac maiori honore se culturum seriò testaretur.

Facetia de simplicitate sponsæ.

Rusticus olim gnatam suam rustico desponderat, cumq; ille prima nocte uxori cestum diffibulare uellet, cuius gratia mortales matrimonium ineunt, è lecto se corripiens surgere uoluit. Hunc ubi sponsa rogasset, quò nam abiturus esset? Clauam se allaturum respondit, qua sanctæ, & nunquam attritæ suæ rimulæ cuneum facilius intrudere posset, At illa sponsum lacertis complexa, ob nimiam simplicitatem, crimen inconsultè fassa, detinuit siste, inquiens, pedem, claua tibi nequaquam opus est: seruus enim patris mei ante triennium ad eam rem claua non indiguit. Hæc Braßicanus.

De rustica præfecti uxore,

Quidam rusticorum præfectus cum esset creatus nouam melotam seu pelliceam uestem uxori comparauit. Illa die dominico tam nouæ uestis, quàm magistratus mariti honore superba, eum templũ esset ingressa, pellibus inuersis: capiteq; elato & superbo, surrexerãt omnes homines ob euangelij quod tunc legebatur reuerentiam, Quòd illa in suum honorem interpretabatur. Quare pristinæ sortis recordata, dixit, Sitzet still/ich gedenck wol das ich auch arm war.

De rustico cõfitente, & de alijs rusticis.

Quidam

Quidam rusticus cum nimis incompositè & ineptè peccata sua sacerdoti enumeraret, correptus ab illo de negligentia & inscitia tam salutaris confeßionis. Respondit, se huic rei non magnam operam impendisse, ob eam maximè causam, quòd de arte (putans confeßionem) nec poßit nec uelit uiuere & se nutrire. Alius rusticus exiens sacram ædem, obuium habuit alium quendam rusticum, à quò quæsitus an corpus Christi esset eleuatum, ut dicitur, nescio, inquit, tam leuium enim & paruarum rerum nulla me cura tangit. Alius mihi notus, in cœna domini eucharistiam sumpturus, cum casu uidisset tibicinem, qui bacchanalibus diebus ad choreas cecinisset, ad hunc in accessu ad altare tacitè dixit. O Conrade quã dissolutam & lasciuã uitam post pascha instituemus, suam religionem declarans.

Cuiusdam Hechingensis ridiculum dictum.

Quidam Hechingensis, cum quibusdam regulis ad terram sanctam peregrinatur. Et cum Rhodi appulissent, fratresq; ordinis omnium regionum Christianarum alumni, rei nouitate & aduenarum uidendorum (ut fit) gratia aduolarent, prosilijt ille in medium, atq; inquit, non est uspiam inter uos bonus aliquis socius ex Hechinga? Factum satis ridendum. Sed nunc in Marpach oppidulo dicuntur esse boni socij, nescio quo prouerbio.

De

De Vuolffgango Australi mendico, & scurra.

Vuolffgangus Australis, quum semel in ædibus cuiusdam rustici super duro scamno pernoctasset, & surgens mane plumam anserinam in crinibus inuenisset, Heu quam duriter, inquit, & pessimè super unica plumula hac nocte quieui, quomodo cum illis agitur, qui sæpissimè super mille uel pluribus plumis requiescunt.

Idem cum olim accerrimè obiurgaretur à quodam nobili uiro, quòd tibialia ab eodem sibi donata uendidisset. Respondit, quomodo ego seruarem illa, cum tu tibi propria seruare non potueris?

Idem dictitabat se ubiq; esse aulicum, nam libentius cum homines in atrio uel uestibulo domus quam intra domum uidere. Man sche jn lieber im hoff wann im hauß.

Idem se longè ditiorem suo patre esse affirmabat: nam patrem sum tributi & pensionis causa ex bonis suis quinquaginta aureos quotannis dedisse, quos omnes ipse absoluerit: dum se decoxisse, bonaq; paterna gula absumpsisse uellet testari.

Idem cum rogaretur à quadam rustica, ut uaccam eius ægrotantem sanaret, dedit ille chartulam rusticæ, in qua characteres aliquos simulabat se pinxisse, illamq; collo uaccæ appendi iußit, sumptisq; septem nummis aufugit. Mulier se delusam opinata, uti erat uacca enim non conualescebat, chartulam sacerdoti

alicui legendam præbuit, in qua scriptum erat.
Ist du so gneüst du / ist du nit so gnüst du nit
Siben pfenning ist mein gewin /
Blaß mir in arß ich far dahin.

De imperito sacerdote.

Sacerdos quidam Augustensis, cum multas fabulas resq; inanes & superstitiosas, atq; apocrypha proueris plebi concionatus esset, interrogatur in quibus id libris doctoribusq; legisset. Respondit, se non legisse, uerùm à charißima matre iam mortua sæpius audiuisse, quæ mulier honesta & ueridica fuisset, habitaq; ab omnibus mortalibus.

De quodã uersificatore græcissante.

Olim fuit mihi sodalis non doctus, cæterum ad carmen sine Gratijs & uenere, cuius dum nuper quosdam uersiculos paucos legissemus, quorum initium cum tumidius Antimacho dijudicaretur, finisq; in ridiculum murem desineret, non sine prisciani summa iniuria. Dixit Henrichmannus meus, hos uersus nisi Sibylla legerit, alium neminem interpretari posse credo, sine manifesto solœcismo & barbarismo. Ad quod ego, detis ei hanc ueniam uersuum: nunc enim animum adiecit ad elementa græca, græcissatq; strenuè. Ibi alius admodum facetus, totusq; in risum effusus, dixit, Ist er von Gretzingar? (oppidulum non procul à Tubinga septem forsan milibus passuum)

Ich meyn jm geschehe wie mir / wañ mir ist yetz das latin erleydet / ich will auch Griechisch lernen.

De quibusdam iudicibus.

Quidā mihi notus, semel cū litem perdidisset in iudicio, dixit ad iudices, iā nūc sæpius litigaui apud uos, & semper succubui, qđ si tu præfecte esses pater meus, cæteriq; iudices omnes mei fratres, sperarē & me aliquādo sententiā apud uos obtenturū, tam magnos aculeos, atq; incitamentū credidit habere fauorē, uel odiū in utramq; partem. Et ita profectò est, ut fauor etiā inspectato uiro totis uiribus, uelisq; & remis, ut dicitur, etiā nobis nō sentientibus, eat in mitiorem melioremq; sententiam: econtrà odium nihil non asperum iudicet.

Quatuor peruertunt omnia iudicia.

Pinguia dona, odium, fauor, & timor, exitio sunt iudicijs, per quæ iudex corrumpitur omnis.

De Iudæo baptisato.

De duritia & pertinacia Iudæorum, ueterum temporum plura monumenta extant: nostris uerò temporibus ab eorum maioribus rarò degenerant, adeò ut hi qui aliquando abiurata gentili fide ad Christianam transierint, uix unus aut alter benè & perseueranter credant, Quòd ideo dixi. Fuit unus in Dillinga oppidulo, qui suscepta fide, cum cogeretur Christiano natali diutius in matutinis laudibus tempore gelidißimo

mo stare: reuersus domum, dixit, si unico puero tam sumus occupati, si beata uirgo (quam inhonesto nomine appellauit) adhuc alium filium peperisset, totus mundus, dies atq; noctes in eorum ministerio fuisset detentus atq; mancipatus. Sed ob dehonestationem sacratißimæ uirginis in aqua fuit submersus, atq; suffocatus, iustam perfidiæ mercedem consecutus.

De Conrado Pocherio morione.

Palatinus Rheni morionem & fatuũ secum habebat in delicijs, cognomento Pocherium. Ille adolescens, priusquàm stultitia eius esset hominibus explorata, pecoribus custodiendis erat præpositus, Qui cum haberet secum comitem adolescentiorem, curuauit semel truncum arboris, huicq; puerum illum appendit. Interim uerò procurante id sathana, ut existimandum est, turba in pecore facta est, ut Pocherio compositore opus esset: cumq; ad pecus abiens puerum in trunco appensum reliquisset, reuersus, truncum inuenit renisum sursumq; ductum, puerum exanimasse. Domum rediens noctu sine comite, dicit se illum suspendisse. Tandem uinculis addictus, nullam aliam causam attulit sui facti, nisi quia puer fuerit scabiosus. In proximo autem principum conuentu Augustæ, ego ipse audiui quòd diceret, bene cum eo actum, quia hodie cogeretur esse bubulcus, si uiueret: tali uerò miseria esse suspendio liberatum. Quòd & nunc prouerbium est in scabiosos, ut dicamus, caue à Pocherio, alioqui te suspendet.

De eodem.

Idem quorundam nobilium pascebat boues, & cum uidisset illos equis, quo elegantiores instructioresq; ad bellum haberentur, caudas rescindere, ipse quàm primum in campum uenisset, omnibus uaccis & bobus itidem fecit: & onustus caudis, domum noctu lætus redijt. Atq; ob eam rem obiurgatus, dixit, se æque ac dominos eleganti & pulchro pecore gaudere.

De Petro Maier.

Petrus Maier Ingstetten. cum semel in caupona casulæ infra arcem Iustingensem, eius atq; alterius manibus apprehensis dixissem, ego uos in matrimonium cōiungo. Homo admodum simplex retraxit manum admodum indignanter, meq; obiurgans, non est tutum, inquit, in tam seria re iocari, præsens enim esset mulcta episcopi, cuius auaritia inquirit minora delicta. Credebat enim diuortio, & episcopi authoritate opus esse.

De prædonibus.

Prædari & latrocinari: nec apud maiores nostros infame, nec hodie apud quosdam nobiles flagitiosum uisum, quàm sit contra humani generis societatem atq; amicitiam, cōtra ius naturale, diuinum, ciuile & gentium, prodidi in controuersia scientiæ & ignorantiæ. Illius uerò prædationis cum nuper quidam nobilis esset reprehensus, respondit lepidè, bonum est esse prædones in terris atq; salutiferum, nemini enim dubiū est, quin

mercatores sæpe plus fœnore quàm iustis contractibus magnis opibus locupletentur, ita ut non facilè beatorũ sedibus dignarentur ab Omnipotente, nisi nos eorum usuras auferendo faceremus eorum delicta leuiora, unde tandem possent ingredi regnum cœlorum.

De incomposito rustico.

Mulier quædam nobilis, incompositum robustumq́ rusticum ad se admisit, nocturnis illius nuptijs satianda. Rusticus uerò cum plus somno quàm Venere caperetur, non nisi prope diem euigilauit. Quem mulier ad opus nocturnum perficiendum, quoniam dies appropinquaret, operarijsq́; immunitatem præstaret ut admoneret, annulum in digitis circumagendo, dixit: articuli frigescunt strictioresq́; sunt, credo diem propè adesse. Ad hoc insulsus rusticus, uera dicis ô domina nã & ego libenter uellem merdare, quod signum ipse habebat aduentantis auroræ.

Quatuor abscondi non possunt.

Amor, tußis, ignis, & dolor.

De monachis & nobilibus.

Intercesßi olim Vlmæ pro quodam monacho apud suum præfectum, (quem ipsi uulgò prælatum uocitant) ut liceret ei concedere in aliquod gymnasium, quo commodius literis, quibus impensè delectabatur, insudare posset. Respondit mihi ille præfectus, eum satis doctum esse, periculosam dictitans in mo-

nacho eruditionem, quæ eum inflaret, rebellemq́; exinde efficeret. Ego hanc uocem detestandam existimans, non ita sunt, dixi, monasteria instituta, non ea mens antiquorum patrum, qui non minus doctrina quàm sanctitate claruerunt: ut in eorum bibliothecis ueteribus, librisq́; ab eis æditis uidere licet. Sed cum nihil profecerim uerbis meis, obticui, recordatus scribarum & pharisæorum, qui cum satis diuites essent, ex templi sacrificijs & ceremonijs, dimißis bonorum morum præceptis, solùm ad cæremonialia & auaritiam conuersi, totam Iudæam secum traxerunt ad interitum. Subibat item recordatio pulcherrimæ disputationis inter nobilem quendam & monachum habitæ, dum in conuiuio Tubingæ essemus, Baccho autore, in lætitiam plus æquo effusiores. Ibi nobilis liberè monacho obiecit, nunc eorum sanctitatem, eruditionem, frugalitatem, in meram superbiam, auaritiam, luxuriam fuisse commutata. Ideoq; non mireris pater bone, inquit, si seculares, si principes, si nobiles, odio habent religiosos: quia pro uirtutibus in eorum cucullos irrepserunt praua uitia, neq; nunc ratio benè uiuendi apud eos habetur, sed habendi plurima. Et cum olim monachi benè honesteq́; uixerint, fuisse animatos nobiles & principes huius seculi, ut instituerent fundarentq́; monasteria, institutaq́; bonis & poßeßionibus largiter donarent. Nunc uerò in animo illorum esse monasteria diruere, pinguibusq́; eorum bonis frui, &

abuti: quia soli habeant diuitias, & cum ijs praue uiuant, quòd facillimè fiat, quoniam frugalitatem & temperantiam raro abundantia gignit. Principibus uerò intollerabile uisum, quòd solùm de bonis Christi & pauperum uiuentes deberent temperantiæ nobis exemplo esse. Ad quòd monachus liberè cordateq; respondit, non nego tempore uetusto & meliori probiores fuisse monachos, quorum uirtutibus & religione permoti principes huius seculi liberalißimè eos tractauerint, sed tunc etiam & tempore illo principes ac nobiles, multò fuerunt ad religionem & promiores & probiores quàm nunc sint. Verum itaq; est, quòd nostris temporibus monachi multò peiores sint quàm antiquitus. Illud tamen commune uitium est omnium ordinum & conditionum, quòd nemo, siue pauper siue diues, sacer uel profanus, sui ordinis & conditionis priscam seueritatem retineat. Proinde nec uos nobiles, nec uester ordo nos inculpet, aut in alterum primum lapidem iacere potest. Sed imprudenter nobis obijcis diuitias: sumus enim diligentes rerum nostrarum procuratores, uos cum omnia ludo, libidine, luxuria amisistis, uultis nostris abuti bonis. Vter igitur melior?

Iocus Nautæ in ebrium.

Ebrius quidam cum alijs multis se lacum Acronium traiecit, ac in prora paulum obdormiscens, in lacum est precipitatus. Socij autem illius cum clamarēt,

ut nauem sisteret nauta, quoniam ebrius in lacum decidisset. Ille dißimulauit aliquandiu, surdisq; auribus lacum sulcauit. Tumultuantibus uerò tandem omnibus ut sisteret, sineretq; educi ebrium. Respondit ridiculè, quā fatui estis, creditis hunc hominem aqua suffocari? Acclamantibus illis, iam ferè actum de uita eius, nisi subueniret confestim. Stultis inquit, stultiores estis: uino suffocatus aquam in nullam corporis partem admittit.

Fabula Hieronymi Emser, secretarij Georgij ducis Saxoniæ.

Filiam olim mater quædam rogauit, quo modo gener eam tractaret, an nuptijs etiam nocturnis eam exhilararet? Respondit filia, nequaquam: nisi quòd manibus mihi uterum palpat. Tunc mater, postquam inquit, iterum te taliter palpauerit, exclama myon, ea enim uox felium existit, siq; dixerit, quid uis catelle? dicas, carnem in carnariū meum, Ein fleischlin in mein täszlin / tunc intelliget quid uelis, teq; thorali munere imbuet. Nocte postridiana maritus uxorem palpitauit more solito: illa uero maternum consilium exequitur. Tandem maritus uxoris uoluntatem expertus ad debitum soluendum se strenuum præstitit. Cum autem immodica demum uxoris libidine fractus atq; defatigatus, cœpit parcius in ea re militare: unde illa sæpius clamauit myon. Et cum sæpius & præter modum repeteret uocem illam, coëmit sibi maritus holusculū, positoq; eo clàm sub lecto: clamanti deinde uxore solita

uoce,

uoce, bolus adiecit, dicens: Friß auch Fraut mit vnder / *quasi non poßit eam semper carnibus pascere.* Ex Lipsia 5. *die Iunij anno domini* 1508. *Hinc inde trahit originem hoc prouerbium, ede interim etiam olus, in eos qui carnes sibi deuorant, olus contemnunt.*

De eo qui puerum non suũ accepit.

Quidam, cum ei uxor in tredecim hebdomadis, ab eo tempore quando eam duxit, puerum peperisset, primùm recusauit suum agnoscere. Tandem per sacerdotem et æditum est persuasus, noctes etiam esse in partu computãdas, unde tempus legitimum optimè quadraret. Cum uerò mater illius eam castigandam, puerum uerò parenti reddendum contenderet, non credam, inquit, sacerdoti nostro homini integerrimo? qui noctes etiam asserat in partu connumerandas ex sapientium, uti non dubito, consilio: præsertim cum nunc hyemis temporè noctes longißimæ plus ueniant quàm dies cõsiderandæ, & profectò mater audi quantum & ego ratione ualeam, ex longitudine enim noctium ego inueni, super legitimum aliquid etiam temporis superesse, adeò ut dolus omnis excludatur.

De mendacio cuiusdam fratris concionatoris.

Scripsi alibi non multum conferre ecclesiæ, imò uerò plerumq; obesse quorundam concionatorum ineptias, qui cum habent sacram & probatam scripturã,

recurrunt ad fabulas aniles, quæ ipsi exempla uo-cant, quibus non mediocre scandalum seu offendiculum ponunt simplicibus. Ea enim astruunt suis exemplis, quæ nec uera sunt, nec uerisimilia, & quæ Deum authorem supernaturaliter propter summam eorum ineptiam & uarietatem non merentur. Quòd ideo dico. Nosco optimè quendam casearium fratrem, qui ad imperitam plebem ita concionatus est. Fideles Christi, ut æternæ beatitudinis indeficiens gaudium intelligere poßitis, dabo uobis exemplum & illud uerißimum, quod uni ex patribus nostris contigit; Ille enim cum uerno tempore floridam transiret syluam, melliflue audiuit cantantem auiculam, cuius cantus dulcedine captus resedit, atq; paulum temporis aduertit, ut credebat, sed illud tempus quod iste uix horam iudicauit, quingentorum annorum spacium erat. Et cum ad conuentum suorum fratrum rediret, neq; quisquam illorum eum cognosceret, ipse uerò omnes, admiratus rei nouitatem, dixit singulos alloquendo, & quare me confratres charißimi non cognoscitis. Ex quare, dixit frater, potestis uobiscum reputare, quantum sit gaudium in cœlis, nec ullo tempore præscribendum, si fratri nostro auicula tantum tempus in horam paruam conuertit, Ecce quàm absurda. Non uidebat inep-tißimus frater, non esse credibile, ut omnes fratres adhuc uiuerent supra uitam humanam, & quòd totus ordo suus tanto tempore non durauerit.

De

De tribus Bauaris.

Tres Bauari simul peregrè profecti sunt, gratia morum in alienis terris discendorum, uenientesq; in Germaniam inferiorem (ubi homines tam expeditè curteq; loquutur, nimiumq; celeriter uerba pronũciant, ut uix & ægrè superiores Germani intelligant) ciuitati cuidã appropinquauerũt, præmittitur autem ab eis pro procurando hospitio, lautoq; prandio instruendo, qui huius insuetæ linguæ non admodum ignarus sed peritissimus haberi uoluit. Qui cum in urbem uenisset, atq; tarda sua lingua, inprimisq; crassa & dura, cum caupone esset locutus plura, nihil tamen eorum intellexit: quare dentes digitis demonstrans, comedendi auiditatem significauit. Caupo dolore dentium laborare eum existimans, mox ad medicum dentarium deduci iubet, ubi cum adhuc in dentibus monstrandis perseueraret, medicus Cauponis opinione permotus, dentes duos illi euulsit radicitus. Quare indignabundus ille & tristis exiẽs ciuitatem, ad comites peruenit, quibus ait, ô fratres charißimi. per fidem meam consulo uobis, ne hanc ciuitatem ingrediamini: quàmprimũ enim ad manducandum quidpiam postulaueritis, dentes uobis omnes exturbabuntur. Mihi ut cernitis duo ob eã rem adempti sunt, qui nisi adeò peritus et edoctus fuissem in eorũ lingua, iam totus edentulus ad uos redijssem. Illi boni homines stulto illius consilio commoti, fermè inedia cõfecti abierunt suam Bauariam ieiuni repetentes.

De eo qui multas cunas emerat.

Quidam in Francia *orientali, cui uxor, quam ante quatuor hebdomadas duxerat, cum peperisset filium, mox properauit ad quoddam forū, ubi tot cunas emit, ut quadrigas impleret.* Atq; *domum rediens, cum interrogaretur quid sibi uellent tot cunæ, dixit, opus habeo, si enim uxor mea tam fœcunda est futura, ut in tā breui tempore sit semper paritura, uix hæ sufficient.*

De pediculoso quodam.

Quidam mihi notißimus philosophus, cum esset in primis macer, quæsitus à me cum tantum biberet & comeret, quantum quisq; pinguißimus, cur tam macilentus esset? Respondit, *quia tantam familiam pasco proprio sanguine, quantam* Romanus *imperator, significans pediculos qui eius corpus infestarent. Idem pediculos dicit suos esse custodes, qui non sinant eū diutius dormire. Idem interrogatus, cur nam posset tot pediculos pati.* Respondit, *quoniam misericordiam, maximum opus in pauperes, præ inopia exercere non possum, alo quadam commiseratione pediculos, qui quotidie corpus meum corrodunt.*

Spiritus sanctus in columbæ specie pingitur.

Dum Christus *in die ascensionis iam esset in cœlum eleuatus, dixit pater ad illum, benè ueneris (ut nostri homines salutare consueuerunt) fili.* Huic *filius,* Deo

gratias

gratias pater chariſſime. Mox pater ſubridens, ait, ego te fili remittam in terras, ut rurſus patiaris. Ad hoc filius, O pater, mittas ſpiritum ſanctum, ut ſi eum nimio afficere uelint dolore, poſſit auolare, quia ille in ſpecie columbæ pingitur.

De Iosbarto propheta merdoſo.

Iosbartus Tubingæ uaticinandi ſibi arrogauit artem, de quo in carminibus noſtris plura inuenies, & de cuius geſtis integri eſſent libri perſcribendi. Ille ipſe cum nimio rigore & ſingulari malitia uteretur erga uxorem ſuam, euenit ut clàm illa ab eo aufugeret, atq; apud Heluetios eſſe diceretur. Sed cum in ieiunio ſacerdoti confitens, abſolutionis beneficium non aliter obtinuiſſet, niſi uxorem quæreret: promiſit ſe facturum, atq; medio die accenſo lumine exiuit ciuitatem, ac non procul à portis, ubi erant congeries lignorum, anxiè quæſiuit illam, atq; mox domum repetens conuenit ſacerdotem, ſeq; ſuas egiſſe partes teſtatur, neq; uſpiam illam inuentam, etiam ſi ſolito maiorem diligentiam in quærendo adhibuerit accenſo lumine. Sed ut quæreret eam ubi opus erat induci non potuit.

De puella quadam.

Quidam minatus eſt puellæ, ſe ad eam noctu clàm uenturum. Illa ſub interminatione mortis prohibuit, quia cultrum ſub lecto ſe collocaturam quo eum interimat teſtatur. Ille uerò noctu ueniens, inuenit eam

iacentem,

iacentem, quæ altum somnum finxerat: unde callidè se simulauerat exiturum. Cui exeunti, puella euigilanti similis, dixit: mane quia non habeo cultellum.

De sacerdote ebrio.

Pagus est non procul à Stutgardia, ubi cum pestis grassaretur, atq; ex rusticis unus peste correptus, diuinis sacramentis erat prouidendus, conuocatur sacerdos pagi, ut suum officium ageret, qui eo tempore tam immodico uino erat sepultus, ut linguæ & pedum gubernationem amiserat. Ille cum rusticum accederet, prouisurus eum (ut more nostro loquar) accepit libellũ baptisandorum puerorum, atq; ad lectum ægroti aßistens, diu compressa ac submissa uoce quiddam submurmurans, tandem ad id deuenit, ut diceret (& quidem sonanciore uoce) Nennets kind. Aegrotus ad se spectare ratus quæ dixisset sacerdos, satis ineptè, inquit, Lieber Herr ich heiß Wurmhenßlin.

De fatuo cuiusdam principis.

Donatus quidam fatuus seu morio cuidam principi electori in Germania: cum sæpe obseruantium oculos frustratus, & custodientium manibus elapsus profugisset: tandem comprehensus, principali conclaui mancipatur, ac aliquandiu inclusus cœpit uentris exonerãdi molestia urgeri, unde cum nec exitus pateret, nec uas aliquod in quo cacaret uideret, in ocreas principis cacauit. Paulò post reuertitur princeps, & ad uenationẽ equitaturus,

equitaturus, induit illas: quas cum iniecto pede, fœtore et stercore plenas comperisset, fatue quis istud fecit? inquit: Ille confestim se nescire quis fecerit, & neq; se fecisse asseuerat. Tum princeps ad eum dixit, & quis fecisse potest præter te? cum nemo alius affuerit. Ad hoc fatuus aiebat, oportet regulum fecisse, est enim regulus omniū minima auicula, quæ ibi in cauea detinebatur, quam fatuus incusauit, tam grande stercus egessisse.

De eodem.

Idem cum iuxta Salam, memorabile apud historicos Germaniæ flumen, obequitaret, fuit interrogatus, ab eo qui in aduersa parte fluminis equitabat ubi flumen uadari posset. Respondit, ubiq; bene. Ille autem uerbis fatui fidem habens, cum in flumen equum adegisset, profunditate illius penè absorptus est, & cum tandem ægrè flumen superasset, quæsiuit indignanter, cur se decepisset? Ad hoc fatuus ô fatue & homo nihili, anates illæ huc ad me natarunt illæsæ, tam infirmum scilicet animal, & tu cum tanto caballo non potes?

Idem cum audiret apud principem suum quandam esse arcem (nisi fame ad deditionem compelleretur) inexpugnabilem, cogitauit fatuus quomodo arcem expugnaret itaq; triduo sub propugnaculis ante portas ieiunus delitescebat. Et cum fame sua nihil proficeret, abijt tandem, principemq; mendacij arguebat, qui arcem fame expugnandam censeret, cum ipse penè fame confectus nihil effecisset.

Idem cum semel anserem incubantem interemisset, mox ipse, ne oua deperirent, incubationis officium assumpsit. Quem cum alius inclamaret, expressit primum sibilum anseris, atq; altero sæpius clamante, noli, inquit clamare, ne terrore afficias mihi oua, quo minus pullos producant. Multa alia facetissima de illo extant, quæ nondum audire potui.

De duobus fatuis.

Duo fratres fatui, ex quercu pyra decerpere cupientes, conuenerunt, ut unus ascenderet atq; concutiendo demitteret, alter sub arbore colligeret. Et cum alter diu conquassando arborem nihil proficeret (unde enim pyra produceret quercus?) conquestus est ille qui sub arbore erat, quòd frater omnia pyra comederet, ut sibi nihil reliquum fieret, è contra alter super arbore conqueritur, illum omnia quæ ipse deijceret, seu præcipitaret pyra deuorare, unde ex summa contentione ad uerbera deueniunt, Sed quomodo concordes facti sint nondum habeo compertum.

Facetum rusticæ puellæ dictum.

Quidam nobiles cis Necharum Sueuiæ nostræ flumen præteribant quasdam lotrices rusticas, quarum ob nimiũ frigus pedes rubebant: unde unus illorum cur tã rubent (inquit) pedes uestri? Respondit unà rusticarum, quia ignem habemus in calcibus. Iterum ille, rogo ergo ut accendas mihi hanc meam uirgulam, educendo uirilia.

lia. Cui rustica, reiectis post terga uestibus, clunes ostendens, dixit, age mi domine, descende, & suffla mihi in culinam meam pro excitando igne, qui mihi iam extinctus est.

De sacerdote & uirgine Vestali.

Quidam sacerdos mihi notissimus, & quē honoris gratia nō nomino, uenit in monasterium uirginum Vestalium. Ille uecordis homo ingenij, cum inter comessandum desiderio cacandi urgeretur, neq; ausus desideriū suum significanter proprijsq; uerbis patefacere, loquitur cuidam sibi uicinæ, quæ esset iam satis prouectæ ætatis, hisce uerbis, (ut exonerationem honestè circumloqueretur) ubi cōsumabo opus naturæ? illa se de stupro appellatam rata, primis mox precibus annuere nolebat, pudiceq; negās, dicebat, ô tu es homo malus, sperās eū instantius petiturū. Ille iterum atq; iterū repetebat, necessitate urgente, eia uerò oportet me opus naturæ perficere. Tandem illa cum satis fecisse honori & pudicitiæ uisa esset, illum manu apprehensa in cubiculum deducit. Ille ad exonerandi uentris locum se deductum existimans, præparat se. Ipsa uerò stat ei morigeratura: & eo iterū repetente, ubi debeo perficere opus naturæ, ipsa tandem se in lectum collocauit, seq; denudauit. Et cum se perperam intellectum sentiret sacerdos, ego uellē libēter, inquit, rosas decerpere, ita enim pueri apud nos docentur honestè petere exonerationē uentris. Illa aūt maximo pudore perfusa, celeriter extra cubiculi

biculi limen transilijt, ne ab eo cognosceretur. Ita ipse egressus, aliam sibi obuiam percunctatur uerbis uulgaribus & notißimis, & fit uoti compos. Hoc idem ipse sacerdos mihi retulit.

De quodam concionatore.

Fuit quidam concionator in magno quodam oppido egregius persuadendi magister, & eloquij maiestate gratiosus, cæterum uitæ peruersæ & intemperantis, unde pusillanimis multum offendiculum præbuit: propterea, quòd (ut Augustinus ait) omni oratione maius pondus habet uita dicentis. Et cum huius rei admoneretur, dicere solebat, se conductum centum aureis singulis annis ut concionaretur; sed nec quadringentos aureos accepturum, ut quæ doceret, faceret.

Cur rufi probi.

Cũ nuper rufo homini illuderem, quamq; prauæ existimationis rufi essent communi prouerbio probarem: Respõdit ille mihi, rufos esse omniũ probißimos, eo maximè argumento, quòd Christus deus solius rufi Iudæ Iscariotis (quẽ rufum pingũt) osculo tãgi sit dignatus.

De imperio mulierum in uiros.

Est Tubingæ quidam proceræ staturæ, cui est uxor parua, sed quæ ei dominatur. Ille cum tribus atq; societas sua in caupona conuenisset cum uxoribus, causa conuiuandi, atq; publicæ læticiæ habendæ, cœpit post cœnam cum cæteris ludere in chartis lusorijs. Vxor

aut eius indignata quòd uir luderet, accessit stomachosa, atq; abrepta uiolẽter uiro pecunia, chartisq; in terrã præcipitatis probrosis cũ uerbis dehonestauit, sæpius repetens, ueni mecũ domum, quòd te diabolus auferat, quòd te dij perdãt, nisi feceris citò, ego mei corporis copiam alicui ex literatis faciam. Ad quòd ille, O quàm molestæ sunt nobis mulieres, uel significantius, ab quã decepit nos diabolus cum mulieribus. Quòd ego astans & audiens dixi, O quàm uirile uerbũ, & animi magni plenũ dixit ille, quàm benè uindicauit ab iniuria omnẽ uirilitatis & fortis uiri honorem. Quòd nũc adeò apud nos est in prouerbio, ut quicunq; uir imperium mulieri concesserit, dicatur loqui uirile uerbũ contra uxorem.

De puella deformi, Georg. Weselin.

Duo deambulantes obuiam habuerunt puellam parum uenustam, qua uisa, dixit unus ad alterum ut puella audire posset, quis illam uirginem nõ iure pulchram affirmare posset? Ad hæc puella, quæ se derisam esse intelligebat, uerum est, inquit, sed idem de te nunquam affirmaret. Cui ipse, posset affirmare si quis mentiri uellet, uti ego de te sum mentitus.

De adultera confitente.

Quidam rusticus admiratione ductus, quid nam uxor sua esset confessura, se post sedilia sacerdotis occultauit. Et cum illa confiteretur, inter cætera adulterij se crimine contaminatam sacerdos finita confes-

sione uolens absoluere eam, primum incœpit ab adulterio. Cui rusticus ex insidijs prosiliēs, bone domine, dixit, ab alijs peccatis eā absoluas: ego enim ipse adulterij pœnam ab ea exigam, ut nulla alia pœnitētia opus sit.

Quæ uix occultari possint.

Hæc tria uix occultari possunt, stramen in calceo, fusus in sacco, & meretrix in cubiculo.

De imperio ancillarū in sacerdotes.

Quidam concionator pascali die, iocoso dicterio (ut moris esse suprà declaraui) lætitiam & risum captare studens, dixit si quis uirorum domus suæ imperiū agat, ille incipiat primus carmen triumphale Christianæ resurrectionis. Et cum nemo id inciperet, & dominiū domus sibi arrogaret, incœpit ipse ille sacerdos, dicens, se nihil domi habere præter felē, cuius ipse dominus esset. Sequenti anno cū idem ad uiros diceret eodem die, nec adhuc inuentus esset, qui id de se iure polliceri posset, nec ego, inquit, nunc incipiam, cū mihi domi sit ancilla, quæ & ipsæ habentur imperiosæ in bonos sacerdotes.

De puella simplici.

Quædam ancilla ab adolescentibus ad choream inuitata, timens dominam, quæ eius diuagationi difficulter assentiretur, intrauit fanum beatæ uirginis atq; ante illius imaginem genibus flexis supliciter orauit beatam uirginem, ut eius intercessione & auxilio apud dominam adeundæ choreæ impetraret ueniam. Contigit

autem ut casu intermitteretur chorea, unde puella cõsternata, suspirans dixit, O si hoc sciuissem, preces meas dominæ uirgini effusas ad aliam rem reseruassem. Hoc factum esse testatur Georgius Vueselin Ramasianus & Schorndorffen.

De insulso famulo.

Quidam hospites uenerabiles ad cœnam inuitauerat, cumq; omnes consedissent, deerat sal. Domino uidente, dixit seruo structori & ministranti, affer mihi scalas iuxta columbarium. Quibus allatis dixit pone ad latus mensæ. Quo facto, dixit, ascende. Ille cum ascendisset. Aspice, inquit, quid mensæ desit. Famulus sal deesse conspiciens, dixit: hoc sine scalis uidere potuissem. Ad hoc dominus, sed ut posthac diligentior sollicitiorq; sis, nunc te omnium ludibrio exposui.

De mercatore & adultera eius uxore.

Erat Viennæ in Austria mercatori diuiti & senio confecto uxor omnium pulcherrima, liberiq; cõplusculi quibus adhibuit præceptorem scholasticum non uilioris formæ. Morem autem iam multis annis hunc obseruauerat, ut relicta domi uxore ipse mercator matutinis sacris quotidie interesset. Vnde uiduo tam manè lecto uxoris adulterandi cum adolescente præbuit occasionem. Et cum id post aliquod tempus non leuibus indicijs suspicari cogeretur, dißimulauit uir prudens suspicionem, donec quadam die in absentia uxoris, quæ

amicorum intererat cõuiuio, opportunitatem esset adnactus: tũc enim remotis arbitris adolescẽti edulia delicatiora uinaq; omniũ plenißima apponens, iußit eum liberè largiterq; commessari, Cumq; eum uino incalescentem penitusq; obrutum esse, adeò ut mentis inops factus fuerit, cerneret, his eum uerbis allocutus est, non nescius, iuxta uerbum Plinij, uulgò iam olim uino attributam esse ueritatem, adolescens, compertum habeo non uulgariter, te stupri commertium habere cum uxore mea, quod si mihi confiteberis liberè, ueniam & impunitatem tibi & illi condonabo: sin negaueris non patiar diutius te mendacem mecum conuersari. Confessus est adolescens, omnemq; rei gestæ seriem aperuit. Cui mercator, benè fecisti, & rem ætati tuæ congruam, atq; quanto posthac in ea re fortius insurrexeris, tanto rem mihi facies gratiorem, hoc unum tamen rogo, ut me ipsum Veneris tuæ exortem relinquas. Adolescens exinde ad tempus aliquod ab instituto abstinuit, donec indulgentia in eum mercatoris perspecta, timorem omnẽ deposuerit. Quum autem consuetum iter repetere cœpisset, mercator huius rei explorator diligentißimus, satis accommodatum nunc tempus adesse cernens, quo domesticæ iniuriæ finem imponeret, quodam mane infirmitatem simulans, non tam precibus quàm minis apud uxorem obtinuit, ut ipsa uicario opere matutina sacra adiret. Quæ cum exire uellet indignanti similis, magno fragore forium & impetu muliebri egressa est,

non sine murmuratione, ut ita adolescentē experrectū, se, non maritum exijsse commoneret. Ille verò altißimo somno oppressus, & serò euigilans, maritum ratus est abijsse more solito, quare nescius doli in thalamum dominæ properauit, atq; educto pene, mercatorē est amplexus. Qui furtim se illius amplexibus subtrahens, enormemq; baculum quem ad hanc rem comparauit arripiens, in hæc prorupit uerba, O hominum nequißime, nónne satis superq; fuit, me uxoris meæ potiundæ tibi copiam fecisse? uis ne mihi uim tuæ libidinis inferre? quòd ne faceres post impunitatem delictorum tuorū tibi concessam, summamq; meam in te indulgentiam, etiam atq; etiam rogaui. Et cum dicto baculum librauit, quo caput eius ita dedolauit, necnon & laterum compages tam miserè delumbauit, ut hunc semianimem in pauimento cubiculi consternatum relinqueret.

Quòd potentioribus seruiendē sit.

Prouerbium est apud nostros in magnis fluminibus & aquis grandiores deprehendi pisces: in paruis uerò paruos, sic quoq; qui uelit seruire, seruiat potius magnis & potentibus, apud quos emergere potest, peruenireq; ad magnos honores & diuitias. Econtrario tamen in magnis sæpe fluminibus facilè submergitur.

Quæ omne malum pariant.

Hæc duodecim omne malum pariunt, senectus sine sapientia, prudentia sine opere, dominatus sine famula-

tu, superbia sine diuitijs, diuitiæ sine honore, nobilitas sine uirtute, populus licentiosus sine correctione, ciuitas sine legibus, potestas seu magistratus sine clementia, adolescentia sine timore, mulier sine pudore, uita religiosorum sine pace, hæ inquam nihil omnino ualent, nec ullius frugis bonæ sunt.

A quibus cauendum sit.

Cauendos esse traditur, Italus rufus, albus Francigena, & niger Alemannus.

Quæ reuocari non possint.

Iuuentus, tempus, uerbum prolatum, & uirginitas.

Ad idem.

Si quis ad uigesimum usq; annum non formosus factus fuerit, ad trigesimum robustus, ad quadragesimũ prudens ad quinquagesimum diues, ille non facile sperat se post assecuturum illa.

Quibus consilium non dandum sit.

Nulli consulendũ est (ut uolunt seniores nostri) ducere uxorem, trans marinam facere peregrinationem, & sequi militiam: quoniam eorum euentus dubius est & incertus.

De rustico Leonardus Clemens.

Quidã rusticus in pago Zwifaldensi, cui nomen erat Balthasar Lotharius, in proximo à Zwifalda pago fabellã narrabat, cui ut fides haberetur ita confirmauit, nisi ita sit, auferat me diabolus. Et mox conscius men-

dacij, & ita intra se territus, reuocauit uerba, atq; absit, inquit, ut hoc pacto me hic deuoueam: nescio enim quales apud uos hic sint diaboli, at illud scio, si domi & apud nos sic iurarem, quòd nostri dæmones nihil mihi nocerent.

De simplici rustico & æditua.

Rusticus quidā ad altare accedens gratia eucharistiæ sumendæ, stupefactus, os aperire obliuiscitur. Ad quem sacerdos bis uel ter ait, aperi os. Cū aūt præ nimia simplicitate nō animaduerteret, æditus indignabūdus dixit, aperi os, qd' diabolus tibi benedicat, ut nostris mos est imprecandi alicui cibū uel aliud. Quòd ad maximum omnes risum incitasset, nisi sacrū illud tēpus uetuisset. Hæc Vuernherus Maierius Monasteriensis.

De somnolento seruo.

Famulus quidam Cauponarius, die quodam ad meridiē usq; dormiebat, officiaq; sua seruilia negligebat omnia, ob quā rem paterfamiliâs iratus, magno tandē clamore eum expergefecit, Cumq; ille surrexisset, cur, inquit, dominus, somnolēte asine in tam longū diē dormis, et quæ officij tui sunt nō curas? Respondit famulus, ego ante quatuordecim dies in balneo fui, unde mihi ignoscendum duco, assolent enim, ut compertum est, homines post balnea grauißimo plerunq; & longo quidem affici somno, id quod mihi etiam hodie contigit. Ad quòd dominus, O bone sodalis, dixit si tam lōgo

semper tempore postquã balneaueris te dormire oportet, non eris mihi idoneus seruus: quare euestigiò te è domo aliò proripias. Hæc dictauit Matthias Kretz.

Faceta cuiusdam inuitatio.

Quidam uolens inuitare uicinum ad prandium, suaq; opinione egregium hospitalitatis opus exercere, ita dixit, ô bone uicine, ueni hodie in domum meam, & mecum prande: si enim edulia tecum apportaueris non nisi ad uini solutionem te compellam.

Ridicula responsio cuiusdã studiosi.

Quidam quæsitus in examine magistrorum, cur canes sublato altero pede posteriori meierent? Respondit, ne sibi urina calciamenta contaminet.

Quid hominem canum faciat.

Cum quidam fatuum interrogaret, quid eum canum faceret? crines, inquit.

De ebrio.

Quidam ebrius dum noctu iuxta aquas ex canalibus profluentes minxisset, cum labentis aquæ strepitum & murmura audiisset, continua nocte stetit, credẽs se urinam emittere, & illius strepentis sonum audire.

Quòd nemo ferè hominum sit qui non habeat in familia sua improbũ.

Dicunt nostri nullũ esse mortalium, qui in sua familia & stirpe non habeat nebulones & meretrices, uolentes nullam esse familiam tam generosam aut probatam,

tiam, quin aliqui sint ex ea minus boni, sed nequã & homines perditi. Ad quod allusit quondã facetissimus ille Conradus de Rosa apud Maximilianum, his uerbis.

Wer nit hůrn vñ bůbẽ in sym gschlecht hab/
Der kum̃ vnd wüsche disen reimen ab.

Quòd tutius fidendum sit amicis diu probatis.

Multum antiquis amicis, & gladijs antiquis confidendum esse, censerunt patres nostri, hos enim iam satis diu probauimus: ancipitem autẽ noui amici fidem esse sæpe cognouimus. Quòd quidem & Diogines Laertius nos docet, amicos ne facilè pares, inquit, quos autem paraueris ne reijcias.

Festiuũ dictum cuiusdã adolescẽtis.

Quum olim duo adolescentes unà globularent, Et cum iunior nummos non paucos ludendo amisisset, atq; rogaret ut uelit saltem dimidiam partem rursus reddere, ne si patri innotesceret plagas auferret. Tunc alter dicebat: qui ludere uult apponet nummos, hoc est, qui uelit facere lucrũ, oportet ut expectet etiam damnum. Quòd quoq; Plautus dicit, necesse est ut sumptum faciat qui lucrum quærit. Adhæc alius astans tritum hoc prouerbium subiunxit.

Weist nit wer kuglen wil der můß auffsetzẽ.

Qui se periculis exponunt, damna etiam accipient.

Dici solet, qui omnia epotare uult flumina, uel tandem submergetur in uno, hoc est, qui se omnibus rebus & periculis fortunæq; rotæ ingerit & committit, postremò succumbet. Ad idem alludit, non omnes uoluptates lucrosas esse, quoniam qui omnia attētare uult, tam damna quàm incommoda expectet necesse est. Quare insuper etiam uulgô dicitur, optimi natatores sæpius submerguntur, optimi scansores sæpius cadunt, audentiores sæpius uulnerantur, hoc est in omni re qui se periculis sæpius exponit, sæpius periclitabitur.

Quòd omnes cupiunt senium, dum uenerit odiunt.

Hoc ego ipse didici experientia, quòd homines minoris adhuc ætatis semper cupiant esse uel haberi seniores, inde enim authoritatem à multis aucupari student: sed postquàm peruenerint ad 50. uel 60. annum, uelle esse iuuenes, & mentiri floridā ætatē. Reperiuntur tamen qui etiam post sexagesimum annū effusè annositatem sibi arrogant, & ultra modum proferunt.

De quodam Vlmensi sacerdote indocto Leonhardus Clemens.

Fuit Vlmæ sacerdos indoctus, et in re literaria parum instructus, qui dum in commisso sibi sacello (quod situm est illic extra portam beatæ uirginis, tanto itinere quanto Caluariæ locus, ubi Christus crucifixus est ab Hierosolimis distitisse fertur, proinde ad requiem domi-

dominicam dictum) in die Parasceues, ut fit, imaginem Christi crucifixi in sepulchrum in magna populi cum religione spectantis frequentia posuisset, acceptaq; acerra sollicitè cogitaret, (nam nonnulli etiam sacerdotes aderant) qua oratione (quæ ab illis collecta dicitur) inter thurificandum uti deberet, mox elata uoce, in ea uerba prorupit, gaudens (ut ipse putauit) se optimum modum inuenisse, Deus indulgentiarum domine, da animæ famuli tui summi Pontificis, cuius primum depositionis diem hodie agimus, refrigerij sedem, quietis beatitudinem, & ueri luminis claritatem &c. Populo uerò ob deuotionem suspirante, sacerdotes alij circumstantes in summum sunt risum effusi, ob huius sacerdotis ruditatem.

De alio ignaro sacerdote.

Mos est eorum sacerdotum, qui tempore congruo paßionem dominicam artificiosè in fanis sacris decantant, ut uerba Christi exprimentes, pressa utantur & graui uoce, uti faciunt uiri graues, Iudæorum autem uerba, ut puta tumultuantium & rabidorũ, horrido clamore eructẽt. E contrà fecit quidã sacerdos in alpib. nostris in pago nomine Vrspringa prope Gyßlingam oppidum: nam dum Iudæi loquebantur, pressa uoce usus est. Quòd audiens coràm Ioannes Cassellius Gyßlingensis sacerdos, dixit ad Leonardum Clementem, Iudæi profectò maturè & grauiter loquuntur, nulli dubium quin iudicũ sibi partes arrogent, Cũ uerò

uentum

mentum esset ad Christum, acutissimè uociferabatur sacerdos. Ecce inquit Cassellius, Christus implorat iusticiam atq; iudicis officium.

De pedello Viennensi.

Quidam doctor sacerdos Viennæ in rectorē Gymnasij erat electus, is suæ facultatis iuridicæ apparitorē, quem pedellum uulgo nominant, in negocijs tam diuinis quam humanis comitem habere solebat: et cum pro more suo sacrificium Deo oblaturus esset, atq; Confiteor perorasset, pedellus ut rectori suo celebraturo ministraturus iustum & meritum titulum tribueret, hisce uerbis dicebat, Misereatur Omnipotens Deus magnificentiæ uestræ, & perducat uestram magnificentiam ad uitam æternam. Ignominiæ loco ducens, si rectorem in secunda persona atq; singulari numero alloqueretur, nō perpendens in oratione dominica se orare. Pater noster q es in cœlis &c. Hæc recēsuit mihi Paulus Hugo.

Qui facilè ditetur.

Nostri uolunt illum facilè ditari, cui malè uolunt uxores, & benè apes, alij dicunt oues & equi. Hoc est, cui multæ uxores moriuntur, ut lucretur dotes earum: & cui fœliciter apes (facilè enim moriūtur) proueniūt.

Quæ non credenda sint mulieri.

Hæc tria non credenda esse fœminæ, nuper accepi ab ipsis mulieribus, primùm si fleuerit: quia quandocunq; uoluerit lachrimulas urget, ut supra etiam dictum

ctum est, Item si infirmam se finxerit, nisi mortuam uideris non credas, Itidem apposita sibi edulia nisi comederit in mensa, credas eam in culina prius repletam, aut suam sibi partem lautiorem sepsuisse.

Tria cauenda.

Aliorũ literas nõ legere: nihil in officina fabri ferrarij tãgere, ne in rẽ ignitã incidas: & nihil in pharmacotheca degustare, poteris enim in uenenum incidere.

Pulchra quædam dicta.

Nuper eram in monasterio ad duplices aquas, ibi scriptũ inueni in cænaculo abbatis. Fœlix est quem sua manus nutrit, plus fœlix qui sua rectè dispensat & cõsumit, Fœlicior cuius os non blasphemat: fœlicior autẽ illo q ab omni peccato cauet, multo fœlicior uerò illis omnibus, cui Deus bonũ finem uitæ concedit, Fœlicißimus autem omnium, qui ad æterna gaudia peruehitur.

Quatuor in paupertatem incidunt.

Prodigus, gulosus, piger, & rixosus.

Quatuor inuitãt hominẽ ad propria.

Vxoris dilectio, domus amœnitas, defectus sodalium, & temporis aduersitas.

Quatuor occidũt hominẽ ante tẽpus.

Vxor formosa, tristis familia, immoderatus cibus ac potus, aër corruptus.

Quatuor opera tyranni.

Bonos

Bonos destruunt, pauperes odiunt, malos extollunt, uirtutes euertunt.

Vbi amor, ibi dolor.

Cum quidam ita caneret:

Nil amor est aliud nisi tristis & ægra uoluptas,
Nil nisi dulce malum, nil nisi cura placens.

Et ego concinnebam:

Deniq; mille in amore cruces, & dulce uenenum,
Luctus & lachrimæ, cura, querela, dolor.

Homo non ex fronte existimandus.

Homo non est ex fronte solum dijudicandus, non enim possumus hominem cognoscere solum ex rebus externis & facie, quoniam in animo eius quid lateat nescimus, nam multi summam prauitatem occultantes, summam probitatem effingunt in facie. Quòd item dicit Iuuenal. in saty. 2. Fronti nulla fides.

Qui facile acquirunt amicos.

Largi, mites, potentes seu diuites, & affabiles.

De sacerdote peruerso.

Quædam puella cũ de prophanata uirginitate petulantiáq; inexhausta sacerdoti confiteretur, ille incõtinẽtia, eius atq; corporis forma egregia per motus exarsit in eius amorem, atq; ad eam ita dicit, si id mecum post pascha perpetrare uolueris, ego te absoluam. Annuens puella, respondit, tradita est uobis potestas omnis ligandi & soluendi, fiat ergo uoluntas uestra. Sacer-

cerdos itaq; eam absolutã dimisit. Sed antequàm præterijsset annus, illa grauida facta puero eum donauit.

Alterius ridiculosa interrogatio.

Cũ Parochus lettingensis cis Mindulã flumẽ in faciẽ ecclesiæ (ut eorũ more loquar) matrimoniũ cõtractũ firmare uellet, iã ab utroq; fidẽ sacramẽti sumpturus, maritũ interrogauit in hæc uerba, Conrade qd' est tibi nomẽ? Conradus cũ maximo astantiũ risu, ut dicis, inquit, uocor: nomen enim meum tu ipse pronunciasti.

Insula cuiusdam absolutio.

Vnus sacerdos alium absoluturus cui plures essent liberi, & proinde res domestica tenuis & angustissima, dixit, hanc tibi absolutionem canonicam accipias, ut cunctis diebus tuis quibus militas in terra hac, in sudore uultus tui comedas panem doloris, & in ualle lachrimarum, de torrente in uia bibas, donec in omni tribulatione & angustia uitam cum morte commutes.

Qui sint lætissimi, qui liberrimi, & qui insanissimi.

Scripsit mihi nuper homo quidam doctissimus, omnium uideri sibi lætissimos sacerdotes, qui etiam in funere & iuxta mortuos canerent. Liberrimos medicos quibus solis liceat homines impunè occidere: homicidiumq; cum alijs capitale sit, medicis etiam mercedem afferre. Insanissimos postremò meros Grammatistas, qui nec ipsi prosaicam orationem, nec carmen pangere

idonei solùm in alienis libris sint occulati atq; diserti, quiq; pro tribus uel quatuor uocabilis, tanquam pro focis, aris, atq; sanguine tam insanè & pertinaciter inter se digladientur, ut non maiori conatu Turcarũ Imperator Rhodios olim oppugnauerit, quàm illi quos sibi fingunt aduersarios. Illi ipsi cum tres quatuorue, aut ad summum sex uoculas ab alijs aut neglectas, aut frigidè interpretatas offenderint, tanquàm Græcorum omnium eloquentiæ antestent, & quasi in triumpho omnium scriptorum ingenia ducere uideantur, maiori apparatu currum triumphalem sibi decernunt, quàm Alexander Macedo, qui totum orientem subegit.

De illiteratis sacerdotibus et monachis Sebastianus Kefer Ramasianus.

Est sacerdos non procul à Ramasia flumine, qui cũ superioribus diebus per fenestras, cœli uidendi gratia an uel serenum uel pluuiosum futurum esset, prospexisset, dixit ad suos conuiuas, non sine summa iniuria Grammaticarum sanctionum, & cum letali uulnere Prisciani, cœlus clarificat se, uolens significare cœlum serenum, & ab aëris intemperie alienum fore. Idem nuper quæsitus, cur trinitas esset generis fœminini, cũ tamen nulla in ea mulier foret? respondit se nescire, sed huius dubij explicandi & discendi gratia sese olim ad aliquod gymnasium recepturum.

Idem de fratribus illiteratis.

Cum nuper in quoddam cœnobium peccatorum cõ- fitendorum gratia uenissemus, & in cœnaculo uarijs de rebus uerba facceremus, dixit unus ex monachis, ma- neat unus uestrum intus, & confiteatur. Adiecit alius *qui apud illos fratricellos doctißimus prædicabatur, uos cæteri abimini, & iterum atq; iterum repetiuit abimini, cum abite dicere debuisset. Cui alludit factum alterius fratris, qui cum exactis diebus inter interpre- tandum illam partem* Bibliæ. *Et comedit Adam de pomo uetito, ita uernacula lingua expreßit,* Vnnd Adam hat gessen von einẽ stinckendẽ apffel. *Id est, de pomo fœtido, nesciens differentiam inter ue- titum & fœtidum.* Idcirco *uerißimum est illud di- ctum, quamuis* Ecclesia *habeat aureos nunc calices, ligneos tamen sacerdotes ex parte.*

Quòd damnosa sit pulchritudo indotatæ puellæ.

Damnosam *sæpius uolunt esse nostri uirginis pau- peris & indotatæ formam & pulchritudinem: quippe quæ à multis petatur citra legitimam* Venerem, *pro- pterea quòd formosa sit, Multarum enim rerum (ut di- cit* Menander) *occasio & competentia est causa, quæ alioquin, si nulla habilitas adfuerit intermitterentur,* Sicut *quoq; dicit* Ouidius,

Fœdera *seruasset, si non formosa fuisset, & alibi:*
Lis *est cum forma magna pudicitiæ.*

Contra mulieres.

Vt sæpe audiui à nostris dici, quòd procul ab oculis est, facile à pectore excidit, in mulieres inconstantes: ita ego olim adolescens ad Rosiam puellam scripsi hos uersiculos.

Quantum oculis, tantum discedis mente cupido,
Estq́; per æternum nulla in amore fides.

Facetum dictum cuiusdam rustici.

Rusticus quidā satis facetus, cū apud quosdā cōpotatores suos esset, inter alia & hoc dixit: hyems nunquam tam frigida est, nec sacerdos tam senex, ut frigeret, dum offerunt ei in altari rustici. Quod ita uersificatus est quidam:

Clericus annosus, licet imbersit furiosus,
Non poscit brumam, dum dragmam suscipit unam.

De sancto Nicolao & quodam equum ei uouente.

Dicitur mihi pro uera historia, in Bauaria nobilem cum seruo isse prædatum, hostesq́; eos ad Danubium usq; fuisse insecutos. Et cùm seruus trans flumen sacellum S. Nicolai uidisset, nouisse illi equum si incolumis modò Danubium tranasset, atq; adacto equo flumen superasse: nobilem uerò periculi magnitudine substitisse, atq; captum extremo supplicio affectum. Cum uerò seruus uoti memor, equum in sacellum ui compulisset, dicitur ibi decem aureos sancto Nicolao obtulisse

pro redimendo equo, quem tamen nec ui, nec aliquo modo potuerit abducere de fano, quare alios insuper decem adiecit: sed neq; tūc profecisse. Timore tandem insequentiam, 40. contulisse, & mox equum fuisse egressum. Ad quod seruus urbanè, O sancte Nicolae, inquit, quàm difficilis & durus es equorum permutator, ut multos rusticos in hac re tractabiliores reperias.

De natura quòd non immutetur.

Vt uulpes, quæ etsi à nobis sit educata, nō tamen abstinebit à gallinis nostris, nec mutat naturam: sic etiam ingrati, qui quanquam plura beneficia acceperint, non tamen uerentur malefacere benefactoribus. Atq; hinc prouerbium illud dicitur apud nostros cōtra ingratos, uulpē in proprio nido educaui. Dici item solet à nobis: uulpes non dimittit naturam. Ad quòd alludit Græcorum hoc dictum: beneficiū mutare naturam nō potest.

De Ioanne Morione Zwifaldensi.

Ioannes morio & fatuus Zwifaldēsis, domino meo Georgio abbati ad recreationem imprimis gratus, cū semel uitulum quem amiserat quærendo, in deuijs syluarum pernoctare cogeretur, uenit prope eum noctua, quæ suo clamore clamabat weg weg, & quoniam uia in uernacula nostra weg uocatur, credidit ipse uolucrem sibi uiam monstrare uelle. Quare conuersus ad illam, cur non, inquit, in nomine diaboli, mihi illam monstrasti dum esset dies? nunc enim in tantis tenebris

quò pergam? Non longe pòst uenit ceruus propè eum, qui folia arborum decerpebat. Ad quem Ioannes, qui iam esuriebat, si fumi tuæ, inquit, medentur, faciam & ipse pariter: atq; folijs arborum famem sedauit. Multa alia fecit, hodieq; facit, quæ scribi non possunt, Est autem iam septuagenarius uel ultrà, sed quotidie in stultitia crescit, ut crederes cum ætate simul in eo stultitiam suam inualescere.

Plaudite & ualete Ioannes Morio Zwifaldensis facetias concludit.

PAVLVS HVGO AD LECTOREM, *in facetias Heinrici Bebelij Poëtæ urbanißimi.*

Si quem fortè iuuant risus urbanaq; uerba,
Hoc opus aßidua perlegat ipse manu.
At uos ite procul critici, procul ite proterui,
Et quorum pectus crassa Minerua tenet.
Vos etenim sat erit Græcis ridere Kalendis,
Hirta ne prosequitur quando capella lupum.
Vos & erit ridere satis, cum pandus asellus,
Pulsaret resonæ plectra canora Lyræ.
Non ego Democriti risus collaudo perennes,
Heraclitum à lachrimis quando reprehendo suis.

Inter

Inter perpetuos fletus risusq́; perennes,
Virtutis medius dicitur esse locus,
Vir grauis interdum solet arte remittere frontem,
Et dulces hilari uoce referre sales.
Vultum terrificus non seruat Iuppiter unum,
Molliter interdum ridet Apollo bonus.
Non unam faciem semper gerit astrifer orbis,
Et niue non semper terra sepulta iacet.
Necc uultum semper retinebit uir bonus unum,
Temporibus uitam commodat ipse suam.
Res tractare graues facilè solet ille Catonis,
Consilio pollens & grauitate potens.
Inter res risu dignas mensamq́; nitentem,
Ridiculo condit fercula sæpe ioco.
Quid memorem risus Pœni intrantis ad aras,
Ipse tuos Macedo mitto Philippe sales.
Anne tuos Cæsar risus Augustæ tacebo?
Mordaciq́; ioco pungere doctus eras.
Dignè sed puero fueras irrisus ab hoc, qui
Dixit in urbe suum sæpe fuisse patrem.
Secli sed labor est exempla referre, uetusti,
Humanos cunctos & meminisse duces.
Id generis paßim poteris reperire magistros,
Namq; ferunt tales tempora nostra uiros.
Bebelius solidus Germaniæ laudis amator,
Librum concinnum muneris huius habet.
Tempore quàm multo fascem congeßit in unum,

Imponitur libroq́; ultima lima suo.
Dignus ut inter doctorum conuiuia serpat,
Concinnos lepido spargat & ore sales.
Ergo quisquis eum mercaberis ære libellum,
Bebelio fastos usq; precare dies.

CARMEN IOAN. HYPHANTI=
ci Vueissenborensis in easdem.

Quem faciles risus, Milesia dicta, lepores,
Fabula, scomma, sales, & ioca grata iuuant.
Qui lusus lepidos, dicteria, ludicra, mores,
Instructis epulis quæq; ioc.amuriauet.
Dulcia præsentis relegat ridicula libri,
Quem modò Bebelius uulgo adire sinit.
Discedant tetrici caperata fronte Catones,
Et facie cedat Hernica turba graui,
Non sua res agitur, farrago codicis huius,
Perpetuo risu concelebranda uenit.
Naribus excußis & ducta fronte, proterui,
Censores carpent, auguror, istud opus.
Clamabunt, nihil est, nequeo ridere profectò,
Quid dicit? lepidos non mouet ille sales,
Scribere conetur melius qui talia garrit,
Sicq́; laborificum comperietur opus.
Namq́; iocos patrios latialis sermo recusat,
Plurima theutonicè pulchra, latinè minus:

Nec

Nec si nasutus quicquam despexerit, odit,
    Quilibet, & placita non sua cuiq; placent.
Ingenium discors tribuit natura creatis,
    Et uarias mentes unus & alter habet.
Diuersos diuersa iuuant, quæ spreuerit unus,
    Alter amat, cunctis nemo placere potest.
Noxia bilis inest alijs, quæ tristia suadet
    Omnia, nec mentes exhilarare sinit:
Contrà splen petulans, & pulmo mobilis addit
    Perpetuos alijs & sine fine iocos.
Omnia continuo traduxit tempora risu
    Democritus, fingens ludicra cuncta sibi.
Ast Heraclitus lachrimarum fonte perenni
    Fleuit, & est miserum quicquid in orbe ratus.
Vix semel ad risum tribulis depastus asellus,
    Commouit Crassum, splene minore senem.
Ac magis arridet lætatus munere Bacchi,
    Quàm cui infesta sitis tristia corda premit.
Iudicium uariat tacito qui pectore curas
    Versat, & ærumnis corda sepulta gerit:
Obtulit at si cui se dulcis amica uidendam,
    Hoc sibi cuncta putat esse iocosa die.
Fabula temporibus certis iucunda refertur,
    Et magis electo tempore scomma iuuat,
Non semper citharæ cantus, non fistula grata est,
    Res nisi legitimo tempore nulla placet

APOLOGIA HEN. BEBELII
contra Zoilum de stirpe sua.

QVid mihi q; sim rusticus, atq; ignobilis ipse,
Zoile detrectas, stulte, bilinguis, iners.
Si non criminibus poterit mea uita notari,
Non curo indocti uerba prophana uiri.
Cum referam proauos (fateor) charosq; parentes,
Rusticus, & duri ruris alumnus ero.
Sedula turba fuit campum exercere feracem,
Et diues pecorum, & simplicitatis amans.
Cana fides illis, quis non reuerentior alter,
Diuorum, rusticum cum pietate colens.
Est tamen & genitor turbæ prælatus agresti,
Ciuibus atq; suis consilio, eloquio,
Vicit & æquales, uiridis dum floruit ætas,
Viribus atq; manu corporeisq; bonis.
Solus ego cœpi ciuiles discere mores,
Palladiasq; sequi non rudis ipse scholas.
Subsequitur frater (modò det sibi Iuppiter annos)
Vnica spes generis, spes patrijq; soli.
Quem modò (post sophiæ studium teneræq; iuuentæ,
Musas) Hippocrates sub media arte fouet.
Glorior hinc humili surgam de sanguine primus,
Atq; meum ueniat nomen in ora uirûm.
Namq; adolescentis lauro mea tempora Cæsar,
Cinxerat ex hedera conspicuumq; caput.

Contulit

Contulit & nobis armorum insignia, laus est,
Induperatori me placuisse meo.
Accessi ob studium uarijs in partibus urbes,
Nunc me doctorem docta Tubinga uidet.
Cui tersas primus Musas Latiumq; nitorem,
Inuexi, & Teuton grammata nostra legit.
Moribus infandis tu denigrare parentum,
Et genus & famam Zoile inepte soles.
Posteritati ego sed nostræ non sordidus auctor,
Nobilitatis ero famigerumq; decus.
Cum Mario Cæsar, cum Grachis Scipio quondam,
Ignoti fuerant, innumeriq; duces.
Donec claruerint rebus fœliciter actis,
Sola enim uirtus nobilitare solet.
Desine quapropter sacrum irritare poëtam,
Candida quem uirtus eximium efficiet.

FINIS.

SALES SEV FACETIAE MVLTVM IVCNDAE ſelectæ ex libro Poggij Florentini oratoris eloquentiſſimi.

De pigritia adoleſcentis.

DONATIVS ADOLEſcens facetus, ex familia Guaſcorum, dum eſſemus Conſtantiæ, admodum tardè ſurgebat è lecto. Cum ſocij eam tarditatem culparent, quidue tam diu in lecto ageret percontarentur: ſubridens reſpondit, litigantibus diſeptrantibuſq́; auſculto. Adſunt enim manè mihi euestigiò cum expergiſcor duæ habitu muliebri, ſolicitudo uidelicet & pigritia, quarum altera ſurgere hortatur, & aliquid operis agere, neq; diem in lecto terere: altera priorem increpans, quieſcendum aſſerit, & propter frigoris uim in calore lecti permanendum, indulgendumq́; corporis quieti, neq; ſemper laboribus uacandum. Prior inſuper rationes ſuas tuetur, ita ut cum diutius diſputent atq; altercentur, ego tanquã æquus iudex, nullam in partem declinans, audio diſputantes, expectans quoad ſint ſententia concordes, hinc fit, ut ſurgam tardius, expectans litigij finem.

De

De Gallo & Vulpe.

Esuriens quondam Vulpes, ad decipiendas gallinas (quæ Gallo duce arborem excelsiorem, quò sibi aditus non erat, ascenderant) ad Gallum blandè accessit, quem cum omiter salutasset, quid in excelso agis? inquit, nunquid non audisti noua hæc recentia, tam salutaria nobis? Nequaquam Gallus cum respondisset, atqui prænuncia, huc accessi, ait, ad communicandum tecum alacritatem. Animalium omnium concilium celebratum est, in quo pacem perpetuam omnium animantium inter se firmârunt, ita ut omni sublato timore, nulli ab altero insidiæ aut iniuriæ fieri amplius queant, sed pace & concordia omnes fruantur, licet abire unicuiq; uel soli quò uelit securè. Descendite igitur, & hunc festum agamus diem. Cognita Vulpis fallacia, Gallus inquit, bonum adfers nuncium & mihi gratum, & simul collum altius protendens, prospecturoq; longius & admiranti similis, in pedes se erexit. Tum quidnam aspiciens, Vulpes cum dixisset: Duos, inquit, magno cursu, ore patulo aduentantes canes. Tunc tremebunda Vulpes: ualete, inquit, mihi fuga expedit, antequàm illi aduenient, & simul cœpit abire. Hic Gallus, quònam fugis, ait, aut quid times? siquidem pace constituta nihil est timendum. dubito, inquit Vulpes, an canes isti audierunt decretum pacis. Hoc pacto dolo illusus est dolus.

De muliere obstinata quæ uirum pediculosum uocauit.

Mulier quædam è nostris, admodum uiro contraria, semper uerbis eius obiurgando refragabatur, perstans in eo quod cœperat, ita ut superior esse uellet. Habita semel cum uiro graui altercatione, maritum pediculosum uocauit. Ille ut uerbum id retractaret, uxorem uerberibus contundebat, pugnis cædens ac calcibus. Quò magis cædebatur, eò plus illa pediculosum appellabat. Vir tandem uerberando lassus, ut uxoris pertinaciam superaret, per funem in aquæ puteum demisit, suffocaturum se dicens, nisi uerbis eiusmodi abstineret. Instantius perseuerabat etiam in aqua mentum usq; constituta, uerbum illud continuans. Tum uir ne amplius loqui posset in puteum demersit, tentans si eam mortis periculo à uerborum pertinacia posset auertere, At illa loquendi facultate adempta, etiam dum suffocaretur quod loqui nequibat, digitis exprimebat. Nã manibus super caput erectis, atq; ungulis utriusq; pollicis coniunctis, saltem quod potuit gestu, uiro pediculos obijciebat, unguibus enim eorum digitorum pediculi à fœminis occidi consueuerunt.

De eo qui uxorem in flumine peremptam quærebat.

Alter uxorẽ quæ in flumine perierat quærens, aduersus aquam proficiscebatur. Tum quidam admiratus,

tus, cum deorſum ſecundum aquæ curſum illam quæri admoneret, nequaquam hoc modo reperiretur, inquit, ita dum uixit difficilis ac moroſa fuit, reliquorumq; moribus contraria, ut nunquam niſi contrario & aduerſo flumine, etiam poſt mortem ambulet.

De ſacerdote qui caniculũ ſepeliuit.

Erat ſacerdos ruſticanus in Tuſcia admodum opulentus, hic caniculum ſibi charum cũ mortuus eſſet ſepeliuit in cœmiterio, Senſit hoc Epiſcopus: & in eius pecuniam animũ intendens, ſacerdotem ueluti maximi criminis reum ad ſe puniendum uocat. Sacerdos qui animũ epiſcopi ſatis nouerat, quinquaginta aureos ſecũ deferens ad Epiſcopum deuenit. Qui ſepulturam canis grauiter accuſans, iuſsit ad carceres ſacerdotem duci. Hic uir ſagax, ô pater, inquit, ſi noſceres qua prudentia caniculus fuit, non mirareris quòd ſepulturam inter homines meruerit. Fuit enim plus quàm ingenio humano, cum in uita, tum præcipuè in mortè. Quid nam hoc eſt? ait epiſcopus. Teſtamentum, inquit ſacerdos, in fine uitæ condens, ſciensq; egeſtatem tuam, tibi quinquaginta aureos ex Teſtamento reliquit, quos mecum detuli. Tum epiſcopus Teſtamentum & ſepulturam comprobans, accepta pecunia, ſacerdotem abſoluit.

De milite q uxorẽ habuit litigioſam.

Habebat Florentinus eques admodum nobilis uxorem litigioſam ac peruerſam, quæ quotidie ad religio

ſam

sam confessorem (uel ut aiunt) deuotum suum querelas uiri & uitia deferebat, qui equitetem reprehendebat, obiurgabatq́;. Aliquando uerbis admonitus uxoris, & ut pacem inter eos poneret, rogauit uirũ ad confeßionem peccatorũ qua facta, non dubitabat conuenturam inter eos concordiam: Paruit eques: & cum religiosus eum sua peccata explicare iussisset, nequaquam est opus, inquit, quicquid enim unquam commisi, & multò plura etiam ab uxore sæpius tibi recitata extiterũt.

Facetia de sene quodam, qui asinum portauit super se.

Dicebatur inter secretarios Pontificis, eos qui ad uulgi opinionem uiuerent, miserrima premi seruitute, quum nequaquam poßibile esset, cum diuersa sentirent, placere omnibus, diuersis diuersa probantibus. Tũ quidam ad eam sententiam fabulam retulit, quam nuper in Alemania scriptam pictamq́; uidisset. Senem ait fuisse, qui cũ adolescentulo filio, præcedente absq; onere asello quem uenditurus erat, ad mercatum proficiscebatur. Prætereũtibus uiam quidam in agro opus facientes senem culparunt, quòd asellum nihil ferentem neq; pater neq; filius ascendisset, sed uacuum onere sinerent: cum alter senectute, alter ætate tenera uehiculo egeret. Tum senex adolescentem asinò imposuit, ipse pedibus iter faciens. Hoc alij cospicientes, increparunt stultitiam senis, quòd adolescente qui ualidior

esset super asinum posito ipse ætate confectus, pedes asellum sequeretur. Immutato consilio atq; adolescente deposito: ipse asinum ascendit. Paulum uero progressus, audiuit alios se culpantes, quod paruulum filium nulla ratione ætatis habita, tanquam seruum post se traheret, ipse asello qui pater erat, insidens. His uerbis permotus, filium asello secum super imposuit. Hoc pacto iter faciens, interrogatus ab alijs an suus esset asellus, cum annuisset, castigatus est uerbis quòd eius tanquam alieni nullam curam haberet, minimè apti ad tantum onus, cum satis unus ad ferendum esse debuisset. Hic homo perturbatus tot uarijs sententijs, cum neq; uacuo asello, neq; ambobus, neq; altero super impositis absq; calumnia progredi posset, tandem asellũ pedibus iunctis ligauit, atq; baculo suspensum suo filijq; collo super impositum, ad mercatum deferre cœpit. Omnibus propter nouitatem spectaculi ad risum effusis, ac stultitiam amborum, maximè uerò patris increpantibus, indignatus ille supra ripam fluminis consistes, ligatum asinum in flumen deiecit, atq; ita amisso asino domum rediit. Ita bonus uir dum omnibus parere cupit, nemini satis faciens asellum perdidit.

De homine qui in somnijs aurum reperiebat.

Amicus quidam noster aurum à se repertum noctu per somnia referebat in cœtu. Tum quidam: uide ne tibi

tibi accidat, ait, quod meo uicino, cui aurum in stercus cecidit. Cum somnium narrari posceremus, uicinus, inquit, noster somniauit ductum se à dæmone in agrũ ad aurum effodiendum: & cum multum reperisset, non licet, inquit dæmon, nunc auferre, sed signa locum ut cognosci à te solo queat. Cũ alter quo signaculo uteretur peteret, caca hîc (dæmon inquit) nam hoc maximè modo nullus hîc esse aurũ suspicabitur, & tibi soli res nota erit. Annuit uir, & statim expergefactus sensit se in lecto uentrem admodũ laxasse. Inter foetorem & stercus cum surrexisset, domũ exiturus, capiti capitium ultimò imposuit, in quo catus ea nocte stercus fecerat, iniquo foetore permotus, inquinatum caput & cæsariem lauit. Ita aureum somnium in merdam rediit.

Derisio hominis porcum occidere uolentis.

Mos erat in oppido quodam Piceni, ut qui hyeme porcum occidisset, uiciniam ad coenam inuitaret. Quidam autem quo pacto eam impensam uitaret, compatrem consuluit. Dic, inquit ille, cras, porcum tibi hac nocte furto ablatum. Et simul, nihil tale illo uerente, quidam clàm porcum nocte surripuit. Manè conspiciens sibi porcum ablatum, ad compatrem profectus, alta uoce querebatur porcum sibi furto surreptum. Tum alter, recte compater mi sapis, inquit, ita enim te docui locuturum. Cum ille sæpius & per deos iuraret id

uerum

uerum esse, Bene agis, respondebat, & secundum consilium meum. Cum ille iuramento iteraret, Hoc modo *te loqui debere antea monui, respondebat, & sanum consilium dedi tibi. Tandem elusus abiit.*

De uulpe à rustico in palea abscōdita.

Vulpes olim fugiens in uenatione canes, diuertit ad rusticum qui in area triticum triturabat, rogat ut à canibus tueretur, & simul pollicita est nunquam se eius pullos gallinaceos læsuram. Annuit rusticus conditioni, & sumptis paleis furcula uulpem texit. Aduenit unus & item alter ex uenatoribus, uulpem quærens. Rogitabant autem rusticum, nunquid uulpem fugientem uidisset, & iter eius. Ille uerbis uulpem per certam uiam diffugisse, nutu uerò & oculis latère sub paleis innuebat. Illi potius ad uerba quàm nutum respicientes, abierunt. Tum rusticus detecta uulpe, serua modò, inquit, promissa: nam uerbis meis euasisti, cum dicerem te abiisse. At illa, quæ sibi timens per rimam inter palea rusticum contemplabatur diligenter, uerba tua, inquit, fuère bona, sed actus satis mali. Dictum in eos, qui unum uerbis, aliud re agunt.

De Florentino qui equum emerat.

Notus mihi Florentinus Romæ empturus necessariò equū, pactus est cum uenditore, qui uiginti quinq; aureos precium carius equo postulabat, se quindecim daturum in præsentia, reliquorum uerò se debitorem

eius esse uelle annuit. Venditor postridie cum residuum peteret, solutionem recusans, serua conuenta, emptor inquit: pepigimus quidem ut debitor tuus sim futurus, si autem tibi satis facerem, non forem amplius debitor.

De Aegyptio hortato ad fidem.

Hortus est Christianus quendam in fidelem Aegyptium, quo cum sibi diutina uitæ consuetudo fuerat, cũ is in Italiam uenisset, ut semel interesset in ecclesia, dũ Missa solennis celebraretur. Assentitur ille, & Missæ interfuit cũ Christianis. Rogatus deinde in cœtu, quid sibi de cæremonijs & solennitate officij uideretur: respõdit, omnia rectè & ex ordine, præter unum, sibi uideri facta, nullam enim charitatem in ea Missa esse seruatam, cum unus solus reliquis esurientibus comedisset ac bibisset, nulla portione cibi ac potus reliquis impẽsa

Facetum hominis dictum asinum erudire promittentis.

Tyrannus ad exhauriendũ bona subditi, qui se multa facturũ iactabat, sub graui pœna præcepit ut asinum literas doceret, Ille impoßibile ait fore, nisi multũ tẽporis sibi in erudiẽdo asino cõcederetur, Petere quantũ uellet iussus, decenniũ impetrauit. Deridebatur ab omnibus, quoniã rẽ impoßibilẽ suscepisset, Ille amicos solatus, nihil timeo, inqt, nã interim aut ego moriar, aut asinus, aut dominus. Quibus uerbis ostẽdit, salutare

esse

esse, rem difficilem in longum protrahi atq; differri.

De sacerdote, Epiphania an uir esset uel fœmina ignorante.

Socius quidam in festo Epiphaniæ narrauit mihi stultitiam ridiculam sacerdotis contribulis sui. Sacerdos fuit, inquit, q populo nūcians Epiphaniæ celebritatē futurā, cras ait summa deuotione ueneremini Epiphaniam: maximū est enim & præcipuum festum, nescio autem an uir fuerit, uel fœmina: sed quisquis extiterit, à nobis est summo timore hic dies custodiendus.

De cantilena tabernarijs placita.

Viator quidam esuriens, cum diuertisset ad cauponulam, uentrem cibo potuq; farciuit. Petente pecuniam, ait nullos sibi esse nummos, sed cātilenis se satis esse facturum. Tabernarius non cantu, sed precio sibi opus esse respondit, Quid alter, si eam cantiooem dicam quæ placeat tibi, num ea pro pecunia contentus eris? Annuente caupone, cœpit uiator canere: & an placeret interrogauit. Cum abnuisset caupo unam, & deinde alteram cecinit. Nullius cantu sibi satis fieri ille testatus est. Hic uiator: dicam ergo nunc, inquit, eam quæ tibi sit placitura. Et arrepto marsupio, dissoluenti similis, cœpit cantionem qua uiatores uti consueuerunt. Mitti mano allabrosa, & pagaloste, hoc est, mitte manum ad bursam, & satis fac hospiti. Hac dicta, nunquid illa sibi placeret rogat? Placet hæc, inquit hospes. Tum

uiator, satis factum est tibi ex pacto ait, postquàm hæc cantio placuit tibi. Itaq; absq; solutione discessit.

De S. Antonij fratre, & laico, ac lupo.

Religiosus ex his quæstuarijs, qui pro sancto Antonio eleemosynam petunt, agricolæ ad dandũ sibi nescio quid frumenti persuasit, ea pollicitatione, ut assereret res omnes suas, & oues præsertim per eũ annum saluas atq; incolumes fore. Huiusmodi rusticus promissis fidens, cũ oues licentius uagari permisit, lupus plures ex eis comedit. Qua ex re indignatus uillicus, cum anno altero quæstuarius pro frumento rediret, negauit se quicquã daturũ, & simul questus est inanes suas fuisse pollicitationes. Sciscitãs causam, respõdit, ab lupo oues suas esse raptas. Lupus? inquit alter. O ho, mala bestia est, & absq; fide: caue tibi ab ea. Nõ enim Antoniũ tãtum, sed ipsum Christum si posset falleret. Stultũ est in his fidere, quorum exercitiũ in fraudando consumitur.

Ridenda de paucitate amicorum Dei responsio.

Ad ægrum quendam ciuem nostrum perfacetum, qui graui morbo diutius torquebatur, accessit religiosus hortandi gratia. Cum uerò inter cætera consolationis uerba dixisset, solere Deum quos diligeret, hoc pacto castigare, & incommodis afficere. Non mirum est, inquit ægrotus, si tam paucos amicos habet, habiturus, si ita tractet eos, etiam pauciores.

De Iudæo nonnullorum suasu Christiano facto.

Iudæum cum multi hortarentur ad Christi fidem, ægrè ille bona sua dimittebat. Suadebant complures ut ea daret pauperibus, quoniam secundum Euangelicam sententiam quæ esset uerißima, centuplum esset accepturus. Persuasus tandem ad fidem conuersus est, distributis inter pauperes, egenos, & mendicos bonis. Inde per mensem ferè hospitio exceptus est honorificè à diuersis Christianis. Cum ei omnes blandirentur & laudarent factum: ille tamen qui precario uiueret, expectabat indies centupli promißionem. Et cum multos facietas cibandi hominem cepisset, iamq; rarus inuitator reperiretur, cœpit homo admodum egere, ita ut ei necesse esset diuertere ad hospitale quoddam: in quo morbo correptus, ad extremum uitæ deuenit, cum sanguis per posteriora efflueret. Desperans itaq; salutem, & simul pollicitatione diffisus centupli, ex anxietate quadam aërem quærens, egressus est lectulum ad secessum uentris in pratulum propinquum. Vbi cum constitisset, quæsitis post egestionem ad tergendum anum herbis, inuenit inuolutum linteum refertum lapidibus preciosis, quare ditior factus adhibitis medicis conualuit: atq; domo empta & poßeßionibus uixit post modum in summa rerum opulentia. Cum ergo diceretur ab omnibus, ecce, nónne uerum prædiximus tibi, Deum centuplum redditurum? Reddidit, inquit ille, sed tamen

prius ut usq; ad interitum sanguinem cacarem permisit. Dictum contra eos, qui tardi in beneficio dando, & redendo existunt:

De medico qui insanos curabat.

Plures colloquebantur de superuacura, ne dicam stultitia eorum, qui canes & accipitres ad aucupium alunt. Tum Paulus Florentinus, rectè hos, inquit, risit stultus Mediolanensis. Cum narrari fabulam poscere=mus. Fuit, inquit, olim ciuis Mediolani, dementium & insanorum medicus, qui ad se delatos infra certū tem=pus sanandos suscipiebat. Erat autem curatio huius=modi. Habebat domi aream, & in ea lacunam aquæ fœtidæ atq; obscœnæ, in qua nudos ad palū ligauit eos, qui insani adducebantur, aliquos usq; ad genua inguine tenus, nonnullos profundius, pro insaniæ modo: ac eos tam diu aqua atq; inedia macarabat, quoad uiderentur sani. Allatus est inter cæteros quidam. quem usq; ad femur in aquam posuit, qui post quindecim dies cœpit resipiscere, ac curatorem rogare ut ex aqua reduceretur. Ille hominem exemit à cruciatu, ea tamen conditione, ne aream egrederetur. Cui cū diebus aliquot paruisset: ut uniuersam domum perambularet, non exteriorem ianuā autem egrederetur, permisit reliquis sociis, qui plures erāt, in aquis relictis, paruit diligenter medici mandatis. Stans uerò aliquando super ostium, neq; enim egredi audebat timore lacunæ, ad uenictem equestrem iuuenem cum accipitre & duobus canibus

ex ijs qui sagaces dicuntur, ad se uocauit, rei motus nouitate: neq; enim quae antè in insania uiderat, tenebat memoria. Cum accessisset iuuenis. Heus tu (inquit ille) ausculta oro me paucis, ac si libet responde, hoc quo ueheris quid est, & quamobrem illud tenes? Equus est, inquit, & aucupij gratia: tum deinceps uerò hoc quod manu gestas, quid uocatur, & in qua re illo uteris? Accipiter, respondit, & aucupio aptus querquedularum & perdicum. Tum alter, hi qui te comitātur, qui sunt, age, & quid prosunt tibi? Canes ait, & aucupio accommodati ad inuestigandas aues. Hae autem aues quarum capiendarum causa tot res paras, cuius precij sunt, si in unum conferas totius anni capturam? Parum quid nescio cum respondisset, & quòd sex aureos non excederet. Subdit homo, quae nam est equi canum & accipitris impensa? Quinquaginta aureorum affirmauit. Tum admiratus stultitiam equestris iuuenis, hoho, inquit, abi hinc ocyus, oro, atq; adeò auola, antequàm medicus domum redeat. Nam si te hic compererit, ueluti insanissimum omnium qui uiuant, in lacunam suam conijciet, curandum cum caeteris mente captis: atq; ultra omnes usq; ad mentum in aquam summam collocabit. Ostendit aucupij porrò studium summam esse amentiam, nisi aliquando & ab opulentis, & exercitij gratia fiat.

FINIS.

SEQVVNTVR NVNC FACETIAE ALPHONSI ARRAgonum regis & aliorum illustriũ uirorum, breuiores.

Non facile in amicitiam recipere quenquam.

ERat Alphonsus in agro Matriciensi, nec dum satis deliberauerat, utrum Franciscum Sphortiam, an Nicolaum Picinium in amicitiam & societatem admissurus esset, & erat alterum duntaxat propter illorum inter se simultates admissurus. Cum interim Matricienses legati regem adeuntes petierunt uti ex ipsius uoluntate Nicolao ne an Francisco gratificari deberent: quibus regem respondisse, qui aderant, perhibent, utrosq; tanquam amicos habendos esse, item ab utrisq; tanquam inimicis cauendum esse.

Rex illiteratus similis est asino coronato.

Cum audisset unum aliquem ex Hispaniæ regibus solitum dicere, non decere generosum & nobilem uirum esse doctum, siue literatum, exclamasse fertur, uocem hanc non regis sed bouis esse.

De importuno solicitatore.

Cum inter cœnandum à difficili atq; importuno quodam sene usq; adeò interpellaretur, ut uix edendi potestas esset, exclamasse dicitur, asinorum conditionem longè meliorem esse quàm regum, illis quidem edentibus dominos parcere, regibus neminem.

Cur hypocritæ superbi, publicani humiles appareant.

Erat inter aulicos aliquando orta quæstio, cur hypocritæ natura superbi essent, publicani uerò mãsueti. Et cũ alij aliud, ut fit, definirent, regem demũ ita definientẽ audiuimus. Publicanorũ uitia ut plurimũ manifesta esse, utpote luxuriã, gulã illiberalitatem & cætera huiusmodi uitia, quæ quoniam oculis hominũ subiecta forent, soluerentur in ruborem, uerecũdiam & humilitatem. Hypocritarum uerò in occulto latêre, utpote odiũ, inuidiam, maleuolentiam, iniquitatem, quæ cũ in arcano tolerari diutius non poßint, erumpant in superbiãm necesse est, iram, arrgantiam, insolentiã &c.

Assentatores cauendos ut uenenũ.

Adulatores lupis haud dißimiles esse dicebat, nam quemadmodum lupi titillando ac scalpuriendo asinos uorare soliti essent, sic adulatores ad perniciem principum blandicijs simul ac mendacijs intendere.

In iactabundos, Sigismundi Cæsaris dicterium, uel scomma potius.

Laudanti se supra modum, & dijs persimilem esse prædicanti cuipiā, alapas Sigismundus non paucas incußit, dicentiq́; illi, cur me cædis? Cur me mordes ait.

Omnes regnare uolunt.

Quas nō didicerunt artes, recusant omnes exercere, imperare qd' est ars artiū nemo recusat. Interrogatus Rudolphus Cæsar q primus in familiā Austriæ traduxit imperiū, cur ita fieret, nō mirū inquit stultos putant qui regnare nesciūt, stultū aūt nemo sese iudicat.

Consiliarij regū queles esse debeāt.

Beatos esse in terris reges aiebat Sigismundus imperator, si exclusis superbis, uiros mansuetudinis & misericordiæ in curia assessores haberent.

Laudabilis charitas.

Bernhardus monachorum pater, abstinentiæ præcipuus magister, cum aliquando aduenientibus hospitibus extra ordinem cœnasset, idq́; discipuli darent crimini, non ego, inquit sed charitas bibit editq́;.

Laus scriptorum ueterum.

Iuliano Cardinali sancti angeli, qui Basiliensi concilio præfuit, libros ueterum lectitanti, cū diceret Otto de Varis, quid tu hic inter mortuos latitas, ad nos tandem qui uiuimus exi. Imò inquit hi fama uiuunt, tu neq; nomine, neq; re uiuis, sed pecudū ritu agis uitam.

De fœnatoribus.

Fœnus ita demum sine peccato exercere posse diuus

Bern-

Bernhardinus Senensis affirmauit, si pecunia his crederetur, qui nec capitalem summam reddere possent.

Quis regno dignus.

Cum rogaretur Sigismundus imperator, quem uirum regno dignum existimaret, eum inquit, quem neq; secundæ res extollerent, neq; deprimerent aduersæ.

Electio successioni præfertur.

Essent plerunq; principes quàm priuati homines, ut Isocrates iubet, meliores, si reges, electio, non successio faceret.

Mors peccatorum pessima.

Interrogatus aliquando Fridericus imperator quid homini optimum posset contingere? Respondit, bonus ex hac uita exitus.

Ludi iocosi animi agilitatem ostendunt.

Qui iocos moderatè ferrent, sapientes dicere Sigismundus solitus erat, qui promptißimè iocarentur ingeniosos.

De uenatione.

Venatio inquit Albertus imperator exercitatio uirilis est, saltatio muliebris, séq; uoluptate quauis alia carere posse, uenatione non posse.

Quis regi charissimus.

Interrogatus Fridericus imperator, qui nã sibi charißimi essent, q me, inquit, nõ magis quam Deũ timent.

Facetiæ Adelphinæ. De indocto prælato.

Magnus prælatus in urbe Roma cum interesset prandio delicatißimo & opiparo, & solum synapi deesset, suspirans & dolens, exclamauit, ô quanta patimus pro ecclesia Dei. Alter ad latus eius aßidēs ipsius errorem castigans dixit patimur. Tum primus ait, nō magni refert, si patimus, aut patimur dixerimus, utrumq; enim genitiui casus est.

De sacerdote qui cum Episcopo permutare uoluit.

Quidam sacerdos Argentinensis, uir facetus et admodum callidus, curandum habebat sacerdotium, cui propter defectum linguæ præesse non poterat, uocatus ab episcopo suo ut idipsum permutaret, respondit ad hunc modum episcopo. Domine gratiose, optimè placet mihi permutare parochiam meam, da mihi tuum episcopatum, & ego dabo tibi parochiam meam. Vnde ad risum omnes qui aderant commoti, callidè episcopo responsum dixerunt. Nam resignatio sacerdotiorum plus doloris affert, quàm si dentes euellerentur, imò, ut quidam aiunt, quàm si oculi eruerentur.

De festo Martini.

Rustici plerunq; ad festum Martini census annuos soluere coguntur, quia tum temporis ab omni rustico labore ociantur, audientes itaq; cantare responsorium

de D. Martino, Martinus Abrahæ sinu lætus excipitur &c. dicere soleat, Martinus ist aber hie/ sicq; in suum damnum commutant nomen iusti Abrahami, in ucxaculum aber hie/ eo quòd citius appropinquasset quàm noluerint.

De quodam Schœnobate.

Quidam Schœnobates cũ solito more funem extẽdisset, pedibusq; iam deumbulare cœpisset, casu quodam prolapsus in terrã ad risum astantes omnes prouocauit. Stans aũt à longè stultus quidã plorãs & eiulans, qui à singulis quærebetur, ut quid lugeret, quoniã inquit, me stultũ homines uocant, qui sapiẽtior sum hoc schœnobate, sciens quòd scriptum sit in psalmis, Terram aũt dedit filijs hominum, in terra maneo, non aërem petens ut ille, qui casu insolentiam suam probauit.

De scholastico doctiore Parocho.

Cum scholasticus quidam tempore paschali rus peteret, colligendi oua, obuiam ei factus, Parochus monachus, dicens Ioannes quot oues collegisti in pago meo? cui scolasticus, nullos. Ad quæ uerba ille indignatus, dixit, quid habes in sacco? respondit ille oua & non oues. Cui Parochus, ha inter ues & ua est parua differentia, nihilominus ego sum Parochus.

De æditiuo qui doctior erat suo Parocho.

Aedituus quidam ministrans ad altare suo Parocho

cho uiro admodum agresti & indocto, cũ tandem tempore offertorij calicem peteret, dixit, ubi est calicem. Cui æditųus, domine non sic, sed calix dicendum est. Tunc subinfert parochus, da mihi calix. Cui æditųus domine non sic dicendum est sed calicem. Ad quem tũ parochus, abi hinc in malam crucem, cum tua logica, gib mir den kelch her.

Expositio Agnus Dei.

Quidã stultus ita exponere solebat illud missæ Agnus Dei, o jr priester / qui tollis, die da hinnemmen vnd auff heben peccata mundi, das gelt der welt / miserere nobis, lond vns auch ein teil. Simile huic est qđ sequitur, sacerdotes tui, deine priester vnd gelerten / induantur iustitia, sollend gůt feißt röck anlegen. Iustitiam enim dicebat à ius iutis uenire atq; uestẽ significare, & sancti tui exultent, vnd dañ sollend sie mit creützen gon vñ dantzen.

De bono Oeconomo.

Pandocheus quidam in Schaffhusa iactitare se solebat corám hospitibus suis, quòd nullus in ciuitate cũ ciuilitate superaret, qui cuncta in tempore compararet. Inter cœnandum uerò dixit ancillæ, porta nobis de magno pomorum aceruo, quæ cum nesciret mentem domini sui, quoniam aduena erat, dixit de quo aceruo uultis? neq; enim scio aliquam etiam in penitißimis & secretioribus partibus domus, nisi quæ hodie pro obolo com-

comparauimus. Confusus Pandocheus coràm hospitibus se mendacem esse ancillæ uerbis ostendit.

Facetum dictum cuiusdam rustici.

Abbas sancti Blasij in Hercinia sylua cuidam subdito suo nouam ex lignis exstrui fecerat domum, quam cum ille diu distulisset tecto tegere, tandem superuenit Abbas indignabundus dicens, quid me coegisti tibi ædificare domum, cum tu ipse differs eam tegere tecto, ne putredine corrumpatur. Adhuc rusticus ille subridens ait, domine Abbas nescis meam dilationem, quoniam sereno aëre opus non est tecto, inclementia uerò aëris nullum habeo adiuuantem me, sicq; intecta manet semper, lepida profectò excusatio dolosi hominis pagani.

Dictum cuiusdam hospitis.

Hospes quidam cum intrasset hospitium in quodam pago, ubi cum uideret cauponam ollam portare, ut peregrinis præberet necessaria, intuens faciem eius, uidit nasum mucosum & guttatim stillantem. Caupona autem dixit ei, amice uis ne de carne & offa? Respondit darnahe es felt / *consyderabat enim si quid ollæ de naribus incideret se non gustaturum.*

Τέλος.

PROGNO-STICA AB IACOBO HENRICHMANNO LATINI-tate donata, paucis quibuſdam an-nexis, quæ in uernacula lingua, ex qua hæc traduxit, non reperiebantur.

TETRASTICHON EIVS-dem Henrichmanni.

Vt uentura ſcias, hæc tu prognoſtica uera
Pellegito ſapiens, ſcriptaq́; falſa fuge.
Vnius nec erunt anni prognoſtica tantum,
Sed rata ſunt eadem tempus in omne ſequens;

NOBILI ET GENEROSO VIRO *Christophoro Baroni de Swartzenbergo, & illustri poëtæ Henrico Bebelio, Iacobus Henrichmannus Sindelfingensis.*

S P D.

Quotannis quidam ex syderum ratione ac motu terrestrium mentiuntur futuros effectus, idq́; postea literis mandantes, publicè omnibus legendum exhibent. Illos autem sæpißimè in iudicio suo falsos esse uidemus, adeò quòd uulgus nunc illorũ scripta mendaciorum libellos palàm uocitare audeat. Superiobus uerò diebus quidam, nescio quis, sed profectò homo industrius, exiguum ædidit opusculum: quod prognostica rectè & latinè uocamus, à barbaris inepto uocabulo practica nuncupatur. Quo libello perlecto, nihil falsi usquam in eo deprehendere potui, nihilq́; quod nõ futurum sit inuenire licet, ita bonus ille homo cuncta quæ uera sunt narrare studuit. Ob id ego opusculum Teutonica lingua scriptum, latinitate donare uolui, ut idipsum non Germani tantum, sed et cæteræ nationes legerent, Pauca etiam adieci, quæ prius illud non continebat. Hæc autem prognostica non tantum præsentis anni sunt, sed pluribus, imò omnibus sequentibus rata & uera futura sunt. Vos ergo ambo hæc legite, quæ si placuerint emittite, & ut alij legant facitote, et tu Bebeli charißime, hæc iocosa facetijs tuis adiungito. Vale ex Suartzlochio 11. Calen. Martias, Anno 1508.

PRO-

PROGNOSTICA ad finem usq; mundi.

De anniqualitate, Cap. I.

AVreus numerus hoc anno paruus erit & modicus apud pauperes. Multæ futuræ sunt illo anno tenebræ, mediæ noctis præsertim tempestate. Scarificare & sanguinem minuere bonum est & utile, quoties hominem necessitas ad hoc impulerit: uitãda tamen maxime sanguinis minutio: quæ fit à rusticis circa festa Bachanalia, dum suillis farciminibus repleti sunt. In Martio alijsq; temporibus, utilia sunt scabiosis balnea & unguenta, fricatio quoq; illis erit non ingrata. In mense Iulio uina ex frigidioribus cellarijs allata sitientibus sunt iucundissima. In Decembri autem tunicæ iumentorum pellibus subductæ stomacho & toti uentri sunt optimæ. Mercatores omnibus mensibus nisi auri argentiq; uirtute satis muniti fuerint, in alienas regiones nauigare diligenter caueant.

De domino huius anni. Caput II.

Plures & uarij futuri sunt anni præsentis domini, quilibet super aliũ sese extollere studebit. Scabella super scamna ascendere conabũtur, ancillæ super seruos.

Sacerdos quoq; marito post ianuam coacto super fœminam, & feles super murem præceps ruet. Semperq; potentior infirmiori dominabitur.

De principum ualetudine.

Caput III.

Principes præsenti anno sibi caueant à grauibus morbis, tum enim sani & benè ualidi manebunt: quòd si minus fecerint, timendum, ubi morbus inualuerit, quosdam eorum morituros esse.

De Abbatibus.

Cap. IIII.

Abbates magnam habebunt nobilium familiaritatem, ac etiam opem in euacuandis uasis uinarijs: paruum autem contra aduersarios præsidium. Plura præterea abbates monachis uetabunt, quæ tamen ipsimet licenter & impunè acturi sunt.

De moribus uulgi.

Caput V.

Communis plebs si multum austeri lactis, prunaq; & similia comederint, ne ex huiusmodi esu uĕtris profluuiū patiantur formidandum. Si aquam biberint, ne eis uenter intumeat, ac graue periculum incidāt: præsertim si indoctum medicum curatorem susceperint.

De omnibus frugibus.

Caput VI.

Triticum, siligo, auena, hordeum, & quicquid aristam habet, in rupibus & saxis tenuiter crescet. In stercoratis autem & benè cultis, copia crescet omnis generis frumentorum, si Deus gratiam & auxilium suum non denegauerit. Non tamen semper pari uendentur precio, sed nunc pluris nunc minoris. Ita etiam cæteræ res in fortunæ rota, modò ascendent, postea descendent, ueluti seruus & ancilla.

De uino & ceruisia.
Caput VII.

Nihil, aut parũ uini horno anno colligetur in sylua Hercinia: in alijs uerò pluribus locis copiam uini dabunt uites & quidem suauißimi, bibituq; delectabilis. Multis autem uinum erroneam uitam faciet, fecesq; suprà & infrà egeret. Magnas item discordias & seditiones Bacchus excitabit, plures de sedibus, scamnis & scalis præcipitabit. Præterea uinum magnum calorem, sed uacuam crumenam, & malas uestes faciet: maximè si tesserarum concursu utatur. Ceruisia autem optima erit, si nimium aquæ infusum non fuerit.

De Cerasis, æsculis, & prunis pomis.
Caput VIII.

Cerasorum, æsculorum, prunorum, & huius generis pomorum abundæ satis erit hoc anno, in superiori foro Constantiæ, et Augustæ in foro cui nomen Berlach: quibus absumptis, una nocte alia crescent quàm pluri-

ma. Ex illorum autem fructuum esu homines calculosi efficientur: per podicem enim innumeros calculos eiicient. Quæ res si inualescat, plures mulieres (ut suspicari possum) uiuæ fodientur.

De rapis, raphanis, cæpis & allio.
Caput IX.

Hæc omnia usq; ad satietatem Argentinæ in macello piscario reperientur exili precio. Nemo tamen illis, ultra quàm satis est uescatur: tußim enim illa generant, & crepitum suprà & infrà: osculumq; eorum qui hæc comederint, puellæ sedulò fugiẽt & horrescẽt.

De Metallis.
Cap. X.

Carius erit hoc anno argentum stanno, & aurum plumbo. Ferri autem multitudine utentur laminarij & machæropœi in conficiendis galeis, thoracibus, gladijsq; & alijs armis. Cuprum quoq; preciosum futurum est hoc anno: eius enim usus frequens est & creber in cudendis monetis.

De equitibus, peditibus, ac cæteris militibus.
Caput XI.

Milites & equites hastarum ludo & exercitatione iocum quærent: in uenationibus fauentem habebunt fortunam. Pleriq; eorum multos cuculos capient, uitamq; suam ita instituent, rebusq; suis prouidè consulent, ne aliquis caupo debitor eorum maneat.

De

De magistris artium, scholasticis, discipulisq; studentibus. Caput XII.

Illi iucundam hoc anno uitam ducent ludo uenereo, propter uini copiam, eorum autem multi magnam patientur pecuniæ penuriam. Ita tamen uiuent, quòd magis anxij erunt ipsorum creditores, quomodo pecuniam debitam extorqueant, quàm ipsi quomodo soluant. Securè posses apud eos scientiam deponere, nemo enim eam apud hosce quærere conabitur: nec ipsi curiosi, quid scientiæ apud se depositum sit, inuestigabunt.

De cantatoribus, amatoribus, fidicinibus aurificibus & pictoribus.
Caput XIII.

Hi omnes magnam erga mulieres habebunt fortunam, in latere quo loculus pendet, suspicabunturq; se bonam habere causam: & inter pocula de magnis rebus, gloriabuntur, ubi res falli nō potest. Plagam aūt Vrbani quæ aßidua apud eos uersabitur, cauere uix poterunt.

De religiosis. Caput XIIII.

Sacerdotes diligentes erunt in sacra æde, quando præsentibus multi nummi numerantur, quos postea cum ancillulis consument. Quidam maximo desiderio hyemem expectabunt, adeò quòd Martini festum quo pecunias leuant, pentecostes cupient celebrari. Gregem quoq; sibi commissum maximè amabunt,

plus tamen oues quàm arietes. Religiosi fratricelli demißi erunt & simplices erga rusticos, multosq; caseos uenabuntur, si modò blanda ualebunt uerba.

De *mulieribus & uirginibus.*

Caput XV.

Mulieres & uirgines, debilis erunt & breuis memoriæ, sed prolixorum criniū. Vxores hoc anno communiter uiris suis imperitabūt, maritisq; multa (quanquam non omnia de Deo) *concionabuntur. Meretrices uetulæ bonæ, imò optimæ erunt amasiorum internunciæ. Præterea de quibusdam magna erit suspicio, quòd sint honestæ, aut etiam uirgines, quibus fit iniuria, libenter tamen hanc suspicionem passuræ sunt.*

De *mulierum infirmitatibus.*

Caput XVI.

Mense Maio cum sanguis in homine renouatur, quasdam mulieres pruritus uexabit, pro remedio uiri illis scarificare debent infra umbilicum: quod si non profuerit, ungendæ sunt infra caput & maiorem pedicam querno bacillo.

De *uetulis uiris.*

Caput XVII.

Viri uetuli in corde magnum erga mulieres affectum habebunt, sed parum damni dabunt, quoniam eorum socius militiam Veneream recusabit &c.

De

De omni plebe opificorum.
Cap. XVIII.

Calcearij, sartores, pelliones, opificesq́; reliqui, & propolæ multa mentientur, atq; hæc lucri causa facturi sunt. Nulli autem tam stolidi erunt, quin libentius lucrifaciant, quàm quòd damnum patiantur. Pecuniæ tamen penuria hoc anno multas emptiones impediet: Pecunia etiam inæqualiter inter homines præsenti anno diuidetur.

De uarijs nationibus.
Cap. XIX.

Vngari & Sarmati seu Poloni, plura bella hornotino habebunt anno, quia magnorum pediculorum erit frequentia. Misnenses, Turingi, & Saxones, parua pocula fastidient, modicumq́; ceruisiæ uitabunt. Communis populus Herbipolensis minus pecuniæ hoc anno habebit quàm canonici. Sueui & Bauari bene habebunt, quia multa pyra hoc anno torruerunt.

De ciuitatibus.
Cap. XX.

Norinbergenses inæquales, & uarias habebunt emptiones: centußis enim ceræ, pluris uendetur quàm centußis axungiæ. Augustenses & Vlmenses magnam habebunt familiaritatem: sed Vrbani plaga, hoc est, ebrietas, frequens apud eosdem futura est. Constantia

multas habebit affectiones, propter murium gliriumq; multitudinem. Tubingæ modicum pecuniæ citò consumetur. In omni autem loco melius diuites habebunt quàm pauperes.

De populi seditionibus.
Caput XXI.

Post calen. Februarij, magna futura est populi seditio, tunc enim stultorum infinitus erit numerus. Postea in Aprili proxima die post Parasceuen, ingens erit sanguinis & cruoris effusio: capelli et hœdi quàm plurimi mortui in sanguine iacebunt.

De quorundam hominum penuria.
Caput XXII.

Magna erit sacerdotum penuria, adeò quòd quidam tria quatuorúe, aut plura habebunt ecclesiastica officia. Penuria etiam erit nobilium: nam & rustici conabuntur nobiles effici. Erit præterea penuria in Iudæis, quia Christiani usuram & fœnus exercere studebunt.

De inimicitijs.
Cap. XXIII.

Ingentes erunt inimicitiæ inter laicos & clericos, inter rusticos & nobiles, inter theologos & poëtas, inter probos & improbos: qui omnes inter se tunc reconciliabuntur, cum quis balneatorem inuenerit qui nunquam sudauerit, magonem qui nunquam mentitus

fuerit,

fuerit, aut carbonarium qui nunquam niger factus fuerit, uel cum quis duos montes propinquos sine ualle ostenderit, tum demùm profectò firma inter prædictos erit amicitia.

Caput ultimum, generaliter complectens quosdam futuros effectus. huius anni.

Dies quibusdam plus æquo breuiores uidebuntur, ut nox longa quibus mentitur amica, diesq́; longa uidetur opus debentibus, ut piger annus pupillis, quos dura premit custodia matrum. Mercenarios sæpe hoc anno capiet laboris tædium. Vtilius erit pecuniam accipere, quàm expendere. Melius erit equitare quàm pedibus uadere. Qui uinum non habebit, aquam bibere non spernet. Coniuges tam diu inter se pacem habebunt, donec litigare incœperint. Multi præsenti anno nocte libentius se in lectum reponent, quàm manè surgant. Nigræ uaccæ album lac præbebunt. Non mirus diuites hoc anno quàm pauperes morientur. Plura adhuc uobis quæ futura sunt enarrassem, si Pythagoras silentium nõ iussisset. Valete.

I. H.

Spes mea Christus.

FINIS.

VVLGARIS CANTIO
Ich stünd an einem morgen &c.
per Henricum Bebelium poë-
tam in carmen latinum
redacta.

TEmpore quo coniunx Tithonum manè reliquit,
Occulto steteram conditus ipse loco.
Hic illam audiui miseranda uoce querelam,
Qua flet amatoris pulchra puella abitum.
Puella. Nescio quo fato mihi mens præsagit amice,
Cedere conantem teq; parare fugam.
Hoc ego speraui, mihi qui iurare solebas:
Te solam in uita semper amabo mea.
Iurabas memini, miseram cur perdere quæris?
O requies animæ dimidiumq; meæ,
Amator. Sic stata fata uocant, non est spes ulla manendi,
Virgo uale, nostri quæ memor esse uelis.
Ac discedenti postremùm porrige dextram,
Quæ toties nobis pignus amoris erat.
Dent quoq; dij superi (quoniam non possumus ipsi)
In me pro meritis præmia digna tuis.
Puella. Ne tantum comitte nefas crudelis amator,
Aut miseram properes ense necare prius.
Dixeris aut saltem reditum, si nulla morandi
Spes fuerit, uitæ consulitoq; meæ.

At

At maneas potius, quicquid mihi patria cura
In dotem dederit sumptibus adde tuis.
Lusimus in summa tot noctes totq; per annos — Amator
Lætitia, noceat ne mora longa caue.
Tempus adest, quòd si non tempestiuus abibo,
Iacturam famæ iurè timebo tuæ.
Hoc timeo in primis, quo nihil tristius unquam
Eueniet, tantum dij prohibete nefas.
Et quid opes referas? quæ non alimenta per annum
Præstiterint, etiam pòst abiturus eram.
Vt uites famæ paupertatisq; periclum,
Concedas tristem iam precor ipse uiam.
Si stat abire tibi, est & in exorabile pectus, — Puella.
At saltem liceat me comitem esse uiæ.
Nec piget extremas tecum concedere ad oras,
Quo sine mors uita dulcior esse solet.
Parce tuam gentem precor infamare puella, — Amator
Atq; domum patris, quæ probitate nitet.
Inuenies etiam de tot modò millibus unum
Vrbis amatorem cui placuisse uelis,
Quiq; tibi penitus ueteres expectoret ignes,
Tam citò fœmineo corde recedit amor.
Desine nobilium mihi commemorare parentum — Puella.
Stemmata, non alius cor mihi tanget amans,
Non ego candorem famæ, non stirpis honorem
Curabo, tecum dum licet ire procul.
Quid te detineam phaleratis uocibus ultra? — Amator

Pulchra

Pulchra puella uale, me fera fata uocant.
uella. Hic flens & sparsos uirgo laniata capillos,
Pectore detrisli talia uerba refert:
Non ego credideram, dum disiunguntur amantes
Affligi tantum, mors leuis ipsa foret.
Mors leuis ipsa foret finem positura dolori,
Quotidie morior, maceror, excrucior.
At mihi concludi posit si carcere pectus
Illius, ut curæ nulla puella foret,
Antè per hamatos errarem mortis ad horam
Sentes, & tribulos nuda genu, atq; pedes
Ante per ictiferos enses, mediumq; per ignem,
Carcere quàm sinerem pectus abire meo.
.mator. Fixisti telum, credas mihi pectoris imo
Ille ait, hoc ignis, hoc latet ipse Venus.
Concutit hoc corpus, penetrauit & ilia summa,
Quod sine, nec sine te cogor abire miser.
Quàm mallem, nostis diui, tentare duellum
Promissum, atq; latus hostis adire feri,
Atq; ita discedens, oculos reflexerat usq;
Dum uisum excludit, fallit & aura suum.
uella. Illa petit latebras, & questibus aëra complet,
Cuiq; fluunt oculi more perennis aquæ.
Ac postquam rediit animus, mox ecce puellas
Flebilibus, caueant, admonet illa modis.
Discite ab exemplo miseræ blandissima turba,
Nil fore perpetuum quod placuisse solet.

Nec

Nec faciles fallant iuuenum blandißima uerba,
Nulla fides iuuenum, nulla in amore fides,
Spes. Amor est fallax, nec duratura uoluptas,
Impacata quies, lætitia atq; dolens.
Pernicies iucunda, nimis quoq; dulcor amarus,
Qui postquam fueris mox fugitiuus abit.

Parænesis eiusdem ad iuuentutem ne prauis mulieribus nimium credat.

Fidere non nimium iubeo cirrata iuuentus,
Virginibus pulchris fœmineoq; choro.
Verba puellarum uento leuiora feruntur,
Optima iam, nouit fallere si qua uirum, est.
Hoc doceo malè: præceptor delusus ab illis,
Dum mihi uel fœlix dumq; beatus eram.
Sed tu qui nostris gaudes de casibus oro,
Ne tibi contingat uel mage dura caue:
Namq; ego dum afflictis olim insultasse solebam,
Nunc trahor in pœnam risus & ipse alijs.

Ridiculum Dictum Sacerdotis cuiusdam in Concione.

Cum Sermonem faceret quidam Sacerdos In Cancellis Dnica 4 post Nativitatis Cri, et in expositione Evangelij Matthei 8. Cum descendisset Jhesus de Monte Dicebat, Cum non ascendisset, non opus fuisset descendere, ego ipse audivi et est mihi notissimus, 24 die Januarij Anno 57.

Georgius Scheralb.